



LIBRO  
MAYOR

1437



Thoma  
Secretio  
rituum





Epistola D. Dominici Longobardi.

40

De la Biblioteca  
de D. Domingo Longobardi.





I B O N A  
S. R. E. Card.  
D E  
DISCRETIONE  
SPIRITVVM.

EST. *f* PLUT. *6*





DE  
DISCRETIONE  
SPIRITVVM  
LIBER VNUS.

AUTHOR

23498  
JOANNE BONA

S. R. E. tit. S. Bernardi ad Thermas  
Presbyr. Cardinali Ord. Cisterciensis.



PARISIIS,  
Apud LUDOVICUM BILLAINE,

M. DC. LXXIII.

Cum Licentiis.




SANCTISSIMO PATRI  
BERNARDO ABBATI  
DOCTORI MELLIFLUO

Joannes S. R. E. Presb. Cardinalis  
Bona Indignus Servus & Filius.



ON diu mihi quaerendum fuit, cujus potissimum nomine hanc exiguam de discernendis spiritibus lucubrationem inscriberem, quemve illi Patronum accerlerem; nam Tu statim occurristi, dulcissime Pater BERNARDE, cu-  
ã iij



  
jus erga me officia & benefi-  
cia multo majora sunt, quàm  
ut possint paucis perstringi.  
Ut enim hoc solum comme-  
morem, quod præcipuum est,  
Tibi tuæque opi ac tuitioni  
debco, quod à teneris annis  
ab hoc seculo nequam erep-  
tus totum cum pompis ac  
divitiis suis mundum despi-  
cere didici, filiorumque tuo-  
rum cœtui aggregatus me-  
lioris vitæ vias eorum exem-  
plo & institutione ingressus  
sum. Cumque meritò formi-  
darem, ne fructus à me exi-  
gens tam grandi cultura di-  
gnos, & non inveniens, tan-  
quam arborem infœcundam

me succidi, & flammis tradi  
juberet; Tu, Clementissime  
Pater, degenerem filium non  
abjecisti, sed rorem divinæ  
gratiæ à fonte omnium bo-  
norum impetraisti mihi, lu-  
menque admovisti, ut dis-  
cussa caligine in qua voluta-  
bar, errores meos discerne-  
rem & detestarer. Et hoc pa-  
ternæ protectioni tuæ depu-  
to, quod inhæserunt præcor-  
diis meis præclara monita &  
documenta salutis, quibus  
discipulos tuos diebus vitæ  
tuæ potenter instruxisti, &  
delectabar in eis; & hoc in-  
dicium divinæ erga me mise-  
ricordiæ agnosco & gratias

ago, quod verba tua non fi-  
cut verba hominis, sed fi-  
cut Dei, ut revera sunt, li-  
benter audiebam: à vera si-  
quidem sapientia, quæ Deus  
est, illa profluxit, quæ in li-  
bris tuis mirabiliter elucet.  
Sive enim Monachos erudis,  
sive vitia redarguis, sive hæ-  
reticos conteris & schismati-  
cos expugnas, sive abdita  
mysteria pandis, sive gratiam  
Dei extollis, sive Pontifices  
instruis, sive Dei dilectio-  
nem doces, sive Sanctorum  
merita celebras, sive nego-  
tia pertractas; nihil certè le-  
gi potest aut disertius, aut ex-  
cellentius, aut efficacius ad

persuadendum. Urit, afficit;  
penetrat mellifluus sermo  
tuus: & nardus tua dedit  
odorem suavitatis, odorem  
vitæ in vitam, ab illis dum-  
taxat percipiendum, quibus  
datum est à Patre, testante  
Filio & dicente; *Confiteor ti-  
bi Pater, Domine cæli & terræ,  
quia abscondisti hæc à sapienti-  
bus & prudentibus, & revela-  
sti ea parvulis.* Hæc sunt ni-  
mirum incerta & occulta in-  
creatæ Sapientiæ, quæ non  
nisi ab illis cognosci possunt,  
qui spiritum ipsius habent;  
de quo scriptum est; *Spiri-  
tus omnia scrutatur, etiam pro-  
funda Dei.* Atque utinam hunc

ipſe ſpiritum habuiſſem, cum  
animum appuli ad hæc ſcri-  
benda; certas etenim & in-  
fallibiles regulas tradidiſſem,  
quibus boni inſtinctus à ma-  
lis, verum lumen à falſo &  
ſibilus ſerpentis à voce ſpon-  
ſi loquentis in ſilentio ad  
cor Hieruſalem dignoſceren-  
tur. Et quidem ſi Tu hîc ef-  
ſes, tenerem Te & rogarem,  
ut panderes mihi ſecretum  
tuum, & penderem ex ore  
tuo, ſicut olim diſcipuli tui:  
nec dubitarem Te verum di-  
cere, quia ſumma Veritas  
mihi intus diceret te verum  
dicere. Nunc verò etſi au-  
dio te mutis vocibus loquen-

tem & docentem, vereor ne  
peccatis meis exigentibus e-  
loquia oris tui non perci-  
piam; nec doceas me, etiamſi  
loquaris; neque enim do-  
ces non intelligentem. Et ſi  
quid intelligo, vix me ido-  
neum exiſtimo ad hoc ip-  
ſum rudi meo ſermone ex-  
plicandum. Quæ eſt igitur  
ſcientia mea, ſi nescio utrum  
aliquid ſciam; Idcirco ver-  
bis tuis in hoc tractatu uſus  
ſum, aliorumque Patrum qui  
Te præceſſerunt, nihil auſus  
aſſerere, quod firmiſſima eo-  
rum auctoritate, ſacrarum-  
que literarum irrefragabili  
teſtimonio, aut certa expe-



rientia non roboretur. Sed  
Te præ cæteris magistrum, Te  
doctorem sequutus sum, cui  
sublimioris hujus Theologiæ  
magisterium divinitus tradi-  
tum est; adeo ut Tibi displicere non possit hoc quale-  
cunque munusculum, quod  
in perenne humillimi mei  
obsequii & grati erga Te a-  
nimi monumentum offero,  
quia Tuum est, ex tuæ vide-  
licet sapientiæ ditissimis the-  
sauris depromptum. Illud igi-  
tur excipe & protege pater-  
na benignitate, illorumque  
mentibus, qui in hunc li-  
brum inciderint, divini lumi-  
nis obtine claritatem, qua

desuper imbuti æternis ratio-  
nibus inhæreant, & mundi ac  
dæmonis insidiosis susurratio-  
nibus despectis in sempiter-  
næ Veritatis amore, ejusque  
beata possessione conquies-  
cant. Hoc votum meum est,  
hæc merces operi meo. Ro-  
mæ, die festo Natalis Tui.  
MDCLXXII.



Imprimatur

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

I. de Angelis Archiep. Vrbinate.  
Viscesg.

.....

Imprimatur

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palatii  
Apost. Mag.

INDEX



# INDEX

## CAPITVM.

### CAP. I.

**S**Copus hujus Libri. Quanta sit hujus Discretionis difficultas, & unde oriatur. Ejusdem necessitas. Ejus defectu plures & horribiles lapsus. Ad eam impetrandam oratio.

### CAP. II.

Duplicem esse gratiam, quarum una justificans & gratum faciens, altera gratis data. Quid utraque sit. Discretionem Spirituum inter gratis datas potissimum locum habere. Quid sit haec Discretio. An deitur

ẽ



per modum habitus. Quid ad eam  
requiratur. Duo ejus modi, unus  
à Deo infusus, alter per modum  
artis. 12

CAP. III.

Ad quid se extendat Discretio spi-  
rituum. Varii hominum motus &  
affectiones. Vox spiritus quid si-  
gnificet. Quid & quotuplex sit spi-  
ritus. Omnes spiritus ad tres revo-  
cari, quorum unus intra nos, duo  
extra sunt. 25

CAP. IV.

Difficile esse discernere à quonam prin-  
cipio sint instinctus, & motus nostri,  
ab intrinseco, an ab extrinseco.  
Nota aliquot & regulae ad id tra-  
duntur. 35

CAP. V.

Judicium quo fit Discretio non esse  
certum, & infallibile, nisi adsit

expressa revelatio. Ad recte discer-  
nendum inter varios spiritus per  
modum artis multa requiri. Quae-  
dam ad id regulae praescribuntur. 46

CAP. VI.

Spiritus sive instinctus divinus quid sit.  
Quot & quibus modis animam ex-  
citet & moveat. Traduntur regu-  
lae & indicia, quibus à diabolico  
discerni possit. 65

CAP. VII.

Dari quandoque instinctus obscuros &  
suspectos, de quibus dubium est à  
quo spiritu sint. Quae cautio in iis  
adhibenda. Quaedam pro illorum  
examine documenta. Agitur obiter  
de singulari quorundam vita, &  
de dono lacrimarum. 84

CAP. VIII.

Diversas esse motiones divini spiritus.  
Ad eas dignoscendas multae regulae  
ē ij



assignantur. De multiplici loquela  
Dei, ejusque discretione. Quibus  
signis vera locutio à falsa internof-  
catur. 203

### CAP. IX.

Quæ signa divinam inspirationem an-  
tecedant, comitentur, & subse-  
quantur. Quomodo optanda & re-  
cipienda sit. 135

### CAP. X.

De motione quæ fit ministerio Ange-  
lorum. Quomodo loquantur & il-  
luminent. An hominum mentibus  
illabi possint. 144

### CAP. XI.

De spiritu diabolico, ejusque signis.  
Quæ sint diaboli artes & astutia.  
Variæ ejus illusiones. Quædam de  
Energumenis. De spiritu carnali &  
mundano. 157

### CAP. XII.

De spiritu humano. Mira ejus diver-  
sitas. Vnde hæc oriatur. Quàm dif-  
ficilis ipsius cognitio. Quibus signis  
discerni possit. 181

### CAP. XIII.

De consolationibus & desolationibus.  
Quot sint earum genera, quæ cause.  
Illarum vicissitudo. Quæ in il-  
lis pericula, quæ mala cavenda.  
Quomodo anima graviori desola-  
tione probari & purgari soleat. 200

### CAP. XIV.

De Ecstasi & raptu. Quid & quotu-  
plex sit ecstasis. Quæ ejus cause, qui  
effectus. In quo differat à raptu.  
Quibus signis ecstases & raptus divi-  
ni à naturalibus & demoniacis dis-  
cernantur. 224

### CAP. XV.

De visionibus, & apparitionibus.



*Earum notitiam difficillimam esse. Quaedam de ipsis singulariter notanda. Tria earum genera. Quid sit visio sive apparitio corporalis, quid item imaginaria.* 256

CAP. XVI.

*De visionibus quæ in somnis occurrunt. Quot sint species, quæ causæ somniorum. Cur plures in somnis quàm in vigilia apparitiones fiant. Somnia divina quæ sint. Quomodo à demoniacis & naturalibus discernantur.* 275

CAP. XVII.

*De somniis Propheticis. Prophetiam in lumine divino præcipuè consistere. Tres gradus rerum, quæ à Prophetis cognoscuntur. Prophetiam non esse habitum. Quotupliciter fiat. Quomodo Propheta aliis manifestet, quæ intellectualiter vidit. Notæ veri & falsi Prophetæ.* 297

CAP. XVIII.

*De visione intellectuali. Quid sit & quomodo fiat. Sanctorum testimoniis elucidatur. Cur inexplicabilis dicatur. Qui sint ejus effectus, quod objectum. Immunis est ab illusionibus. Triplex modus divinæ visionis.* 322

CAP. XIX.

*Iterum de apparitionibus. Quid in his servandum, quid vitandum sit. Apparentium diversa genera. Deus, Angeli, & Sancti quomodo appareant. Divinæ apparitiones, quibus notis ab Angelicis discernantur. Variæ Christi apparitiones. Imaginariæ & corporalis distinctio. Dæmonum spectra, eorumque signa. Humanorum spirituum visiones. De cultu & adoratione apparentium.* 343



CAP. XX.


*De revelationibus, earumque discretionem. Quid de privatis censendum. Non esse desiderandas, nec illis temerè credendum. Traduntur regulae, quibus vera à falsis discernantur, ex persona cui fit revelatio, ex ipsa revelatione, & ex circumstantiis. Addita quaedam de verbis & phrasibus mysticæ Theologiae.*



DE  
DISCRETIONE  
SPIRITUUM  
LIBER UNUS.

CAPUT I.

*Scopus hujus libri. Quanta sit hujus Discretionis difficultas; & unde oriatur. Ejusdem necessitas. Ejus defectu plures & horribiles lapsus. Ad eam impetrandam oratio.*

I.  UÆ à sanctis Patribus, aliisque probatis scriptoribus de DISCRETIONE SPIRITUUM tradita sunt, & quæ ipse tum propriam, tum alienam experientiam percepi, in unum colligere proposui stylo facili, & quantum argumenti natura patitur claro, ad Dei gloriam & eorum instructionem, qui ani-



2 DE DISCRETIONE

mas regendas susceperunt. Quia in re-  
trum aliquid præstiterim, lectori bene at-  
tendenti ipsa tractatio, me nihil temere  
affirmante, indicabit. Opus enim ag-  
gressus sum difficile, multa oblitum cali-  
gine, casuum varietate perplexum, &  
quibusdam quasi cavernosis anfractibus  
impeditum, quod omnem quærentis dili-  
gentiam occurrentibus sæpe insolubilibus  
nodis ita eludit, ut modò elabatur è ma-  
nibus quod inventum est, modò rursus  
appareat, & iterum absorbeatur. Hæc  
nimirum sapientia est omnium hominum  
intelligentiam excedens, quantumvis do-  
ctissimi sint, & in spiritali palæstra lon-  
go certamine probati. <sup>a</sup> *Abscoudita est ab  
oculis omnium viventium, volucres quoque  
celi latet. Deus solus intelligit viam ejus,  
& ipse novit locum illius.* <sup>b</sup> *Excelsior celo  
est, & quid facies? profundior inferno,  
& unde cognosces? longior terrâ mensura  
ejus, & latior mari.* Vita enim spiritua-  
lis plena latibulis est, diversæ sunt & ad-  
mirabiles Dei vocationes: nec potest ho-  
mo discernere sine lumine supernaturali  
ab eo infuso, qui veritas est, an quis am-  
bulet in spiritu veritatis. Et si nemo no-

a Job 28. 21. b Idem 11. 3.

SPIRITUUM CAP. I. 3

vit quæ Dei sunt, nisi spiritus ipsius Dei,  
ut docet Apostolus <sup>c</sup>, quis hominum po-  
terit divinum instinctum cognoscere, e-  
jusque vocem percipere loquentis in silen-  
tio ad cor Jerusalem? Quis etiam valeat  
humani cordis secreta penetrare, ad quæ  
nulli aditus patet, nisi soli Creatori? *Præ-  
vum est cor omnium & inscrutabile,* teste  
Propheta <sup>d</sup>, *quis cognoscet illud? Ego Do-  
minus scrutans cor, & probans renes.* Dia-  
boli verò multiplices fraudes, innumeras  
nocendi artes, ac pene inextricabiles la-  
queos quis detegere, quis evitare queat?  
Cum præsertim ipse malignus hostis quan-  
doque se in Angelum lucis transfiguret.  
Monet Scriptura <sup>e</sup> sathanæ cibum ele-  
ctum esse, quia illos præcipuè decipere ac  
devorare conatur, qui sanctiores sunt,  
quare cautiùs cavere debent, ne ab ipso  
circumveniantur. Proprii denique spiri-  
tus diversos instinctus inter tot affectio-  
num tumultuantium procellas, inter tot  
errorum tenebras quis accuratè discernet?  
Quis iter arduum & tenebrosum inoffen-  
so pede conficiet, nemine facem præfe-  
rente?

II. Spirituum ponderator est Dominus,

<sup>c</sup> 1. Cor. 2. 11. <sup>d</sup> Jerem. 17. 9. <sup>e</sup> Habac. 1. 16.

4 DE DISCRETIONE

ait Sapiens <sup>f</sup>, & omnes via hominis patent oculis ejus. Ipse librat, ponderat, dijudicat omnia <sup>g</sup>, qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura. Sermo ejus, vivus est & efficax, inquit Apostolus <sup>h</sup>, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem anime ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Hinc prohibemur de interioribus & incognitis humanâ prudentiâ judicare, eodem Apostolo <sup>i</sup> contestante, ne ante tempus judicemus, quousque veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet consilia cordium. Nam teste Gregorio <sup>k</sup>, qui lucem videt, scit quid de tenebris aestimet. Qui verò lucis candorem ignorat, etiam obscura pro lucidis approbat. Sæpe virtutum aditus vitiorum foribus vicini sunt, magnòque lumine indiget homo, ne in vitium inconsideratè labatur, dum se putat virtutem amplecti. Qua in re maxima circumspectio adhibenda, tum quia obtusior est intellectus ad res internas pernoscendas, rerumque terrenarum amor captivat & obcæcat nos;


f Prov. 16. 2. g Job 28. 25. h Hebr. 4. 12. i Cor. 4. 5.  
k Gregor. 5. moral. c. 27

SPIRITUUM CAP. I. 5

tum quia falsæ virtutum similitudines aciem mentis quibusdam quasi præstigiis ita perstringunt, ut species boni appareat in re non bonâ, & species mali in re non malâ.

III. Clamat Apostolus quem diligebat Jesus, ne credamus omni spiritui, omnibus scilicet internis motibus, impulsibus, suggestionibus, desideriis, inspirationibus; sed probate, inquit <sup>l</sup>, spiritus, si ex Deo sunt. Vnde probò? ait Augustinus. <sup>m</sup> Probare vellem, si errare non possem. Certè nisi probavero spiritus qui ex Deo sunt, incurram necesse est in spiritus qui ex Deo non sunt, & ex hoc seducar à pseudo-prophetis. Quid agam? Quomodo observem? O si S. Iohannes quo modo nobis dixit, Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt; dicere dignaretur, quomodo probentur spiritus, qui ex Deo sunt? Sed ne solliciti simus, monet nos Spiritus Sanctus probare spiritus; & quia superat hæc probatio quicquid viribus naturæ aut assequi aut indagare possumus, ipse idem Spiritus spirans ubi vult, postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, facit nimirum nos summis precibus

l 1. Joan. 4. 1. m Aug. ser. 20. de verbis Ap.



6 DE DISCRETIONE

à Deo postulare quod non possumus, ut Pater luminum, qui dicit de tenebris lucem splendescere, illuminet nos mirabiliter à montibus aeternis, docens nos juxta propheticum sermonem eligere bonum & reprobare malum, & separare pretiosum à vili. Filii quidem tenebrarum fumus ob peccatum primi parentis opacà nocte circumsepti; at cum radius effulget divinæ gratiæ, tunc caligo dissipatur, tunc superna luce perfusi ambulamus sicut in die, tunc videmus quid agendum sit, & mortalitatem nostram transfiliantes in meliorem sortem transcribimur. Cumque ad unam & eandem rem modò diabolus, modò natura, modò Deus impellant; necessaria prorsus est lux Discretionis, ut sciamus quæ suggestiones à quo principio sint, quibus aditum aperire, quibus obstruere debeamus. Ipsa nos docet in singulis actibus circuire conscientiam nostram, & nosmetipfos deprehendere, hostisque dolos & versutias eludere. Quod si scientia curandorum corporum ideo difficillima dicitur esse, quia pendet à conjecturis & signis externis, quæ ambigua & æquivoca sunt, adeò ut his decepti etiam

R. Isa. 7. 15. O Jerem. 15. 19.

SPIRITUUM CAP. I. 7

peritissimi Medici noxia quandoque morbis remedia præscribant: quanto difficilius erit internos motus dijudicare, qui à sensibus remoti, & densis tenebris sepulti sunt? *Animalis homo*, ait Apostolus, non percipit quæ sunt spiritus Dei, ea enim videt & examinat crassà & animali imaginatione, quæ rebus sensibilibus mentem affigit: *spiritualis autem judicat omnia*, quia ad divinum & incommutabile lumen elevatus, radium ejus excipit, & in eandem imaginem à claritate in claritatem transformatus omnia videt quæ in animo sunt, & in eis ac per ea illa quoque circumspicit quæ in mundo sunt, & de omnibus judicat; quia nihil ab ejus judicio subtrahitur, à cujus cognitione nihil occultatur. Verum tamen *rari sunt*, ut B. Laurentius Justinianus scribit, qui *spirituales re & nomine censendi sint. Vocabulum hoc de nuntiatione sortiuntur multi, effectum verò ipsius pauci*. Nomen plerique sanctitatis habent, sed non opera: vocem Jacob, manus Esau: & in Apocalypsi, qui viventis speciem gerebat, tanquam mortuus conclamatur. Ideo veteri ritu hinc procul arcendi omnes profani, quorum immensa

P. 1. Cor. 2. 14. q. Lib. de obed. c. 16. r. Apoc. 3. 1.

Universidad de De  
10107

DE DISCRETIONE

3 turba est ; oculos enim ad hæc intuenda non habent, quorum fides opifex est. Similes sunt de tenebris ad solem repente prodeuntibus, qui à luce abhorrent, donec sensim assuescant ejus fulgorem sustinere.

IV. Hinc fraudes, hinc doli, hinc illusiones, hinc pericula, & lapsus : hinc horrenda magnorum virorum præcipitia, quorum cum plurima proferre valeam exempla, duo tamen præ cæteris notanda sufficient, ut discant fideles non altum sapere, nec sibi temerè spirituum discretionem arrogare. Quis inter Ecclesiæ proceres sapientior & nobilior Origene : cujus tanta vis ingenij, tanta doctrinæ profunditas, tanta eruditionis ac eloquentiæ ubertas, tanta vitæ sanctimonia fuit, ut apud omnes admirationi esset. Et hic tantus ac talis vir, dum ingenio suo nimium indulget, dum proprio spiritu inflatus veterum traditiones contemnit, in absurdos errores lapsus est. Tertulliano quoque par casus fuit. Hic enim mirâ ingenij capacitate omnes Philosophorum sectas, omnes disciplinas complexus, verustæ fidei parum temax, dum specie deceptus castitatis &

SPIRITUUM CAP. I. 9

abstinentiæ falsa Montani dogmata, & insanarum mulierum deliramenta tamquam veras prophetias præcipiti judicio suscipit, ex Ecclesiæ magistro orthodoxæ fidei hostis acerrimus factus est. Quæ cum ita sint, ne nobis diabolus vitrum pro margarito, verum pro falso obtrudat, illa Domini nostri sententia, quam sancti Patres sæpe commemorant, sequenda est, ut simus probabiles trapezita, probos nummos ab adulterinis subtilissimè discernentes. Sicut enim trapezita non ea solùm numismata examinat, quæ faciem tyrannorum exprimunt, sed illa etiam quæ veri Regis imagine, sed non legitimè figurata sunt : tum inquirat ad trutinam, an quidpiam illis justiponderis desit. Ita nos debemus internos animi motus, & omnes cordis recessus sagacissima indagatione perscrutari, & non humanâ staterâ, sed justissimâ sanctuarii lance perpendere, & ad Christi Sanctorumque doctrinam, & exempla veluti ad lydium lapidem examinare. Hoc mihi in hoc tractatu propo-

f Clem. Alex. lib. 1. Strom. Origen. in Ioan. 10. 19. Epiphani. her. 44. Hieron. Ep. ad Marin. & Alexan. Cassian. collat. 1. c. 20. Cytill. Alex. lib. 1. adv. Nestorianos.

IO DE DISCRETIONE

fitum est, in quo nullam necessariæ institutionis partem defuturam confido: nam in his quæ cunctis patent satis esse credo excellentiora notare: in his verò quæ latent, magna pars doctrinæ est nosse quid quæras. Sed satius est divinam opem in hoc ipso introitu implorare, sine qua inanes sunt omnes conatus nostri, omnis providentia timida & incerta, stulta & vana omnis sapientia.

V. Veni igitur lux splendidissima increata sapientiæ, & illumina tenebras meas, quia nox perpetua incubuit mihi, & horribilis malorum cohors. Doce me cognoscere veritatem tuam, ut tua efficaci inspiratione imbutus è facie terræ emergens divinis inhæream rationibus. Perlustra vitali tuo fulgore intima cordis, ne tenebras, in quibus natus sum, infelicitè amans longè abeam à te in regionem dissimilitudinis. Fac me gustare per affectum, quod te donante percipio per intellectum, quo te purè purum attingens pravas opiniones, mundique hujus simulacra per inane volantia ex animo expellam. Da legi tuæ consona scribere despectis iniquorum fabulationibus, tu qui occulta sapientiæ tuæ non prudentibus hujus sæ-

SPIRITUM CAP. I. II

culi, sed parvulis & humilibus revelare dignaris. Excita me, & accende illo igne, quem misisti in terram, & insinua nutus tuos. Pande sinus secreti tui, & immitte cogitationes hac sublimiori sapientiâ dignas, cujus explicationem in te confisus aggressus sum. A te enim summo bono, creatore & artifice meo omnia bona sunt, quæ in vita, sensibus, & mente habeo. Sine te labitur memoria, errat judicium: nec idoneus sum ad bonum eligendum, quo per peccatum me sponte privavi. Te deserui, à quo factus sum, & duo mala contraxi, ignorantiam & infirmitatem: atque in his manebo, & in his peribo, nisi tu me reficias, qui de nihilo me fecisti. Sine luce & ope tua non est veritas, sed vanitas: non est scientia, sed error: non est discretio, sed confusio. Ideo clamo ad te cum Propheta: *Dominus illuminatio mea, & salus mea*; ut illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem. Clamo, inquam, ad te, ut ea quæ nescio doceas me, in his quæ novi custodias me, in quibus fallor corrigas me, in quibus labor confirmes me: à falsis & noxiis eripias me. Et velle quidem ex tuo munere

12 DE DISCRETIONE

adjacet mihi, perficere autem non invenio, nec aliquando me inventurum confido, nisi tu qui velle dedisti, des & perficere. Non enim est volentis neque currentis, sed tui miserentis, Salvator mundi, sine quo nihil possum, nihil habeo, nihil sum.

CAPUT II.

*Duplicem esse gratiam, quarum una justificans & gratum faciens, altera gratis data. Quid utraque sit. Discretionem spirituum inter gratis datas potissimum locum habere. Quid sit Discretio. An detur per modum habitus. Quid ad eam requiratur. Duo ejus modi, unus à Deo infusus, alter per modum artis.*

I. **G**ratia Dei, qua nihil excellentius hominibus tributum est, duplex ab Angelico doctore <sup>a</sup> dicitur esse, una per quam homo justificatus ad Deum reducitur, & divinæ naturæ consors efficitur: altera per quam aliis cooperatur, utificentur, & ad Deum reducantur. Illa *gratum faciens*, hæc *gratis data* nuncupa-

<sup>a</sup> S. Thom. 1. 2. q. 111. 471. 2.

SPIRITUUM CAP. II. 13

tur. Quamvis enim omnis gratia à Deo gratis donetur supra meritum personæ, & supra debitum naturæ; ex fine tamen propter quem datur, orta est hæc distinctio: nam prima ad sanctificationem ejus, cui datur: altera ad aliorum salutem ordinatur. Illa justorum propria est, hæc justis & peccatoribus communis, Ideo illa gratum faciens dicitur, quia supra rationem gratiæ gratis datæ hoc addit, quod hominem Deo gratum & amabilem reddit: hæc autem antonomasticè gratis data vocatur, quia hanc solam gratiæ proprietatem habet, quod gratis detur; per se verò, & ex primario ac intrinseco fine non sanctificat hominem, cui datur. Illa unius rationis & speciei est, quia unica est recipientis perfectio: hæc in plures dividitur species, quia diversæ sunt operationes sive energemata ad multiplicem aliorum utilitatem. Hæc gratiæ sic ab Apostolo enumerantur. <sup>b</sup> *Divisiones gratiarum sunt, & divisiones operationum. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alii per spiritum datur sermo sapientia, alii sermo scientia secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiri-*

<sup>b</sup> 1. Cor. 12.

Universidad de De

14 DE DISCRETIONE

*tu, alii gratia sanitarum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult.* Et hæc quidem sunt species gratiarum, quas divina providentia illis hominibus conferre solet, quibus utitur tamquam instrumentis, ut quosdam per eos ad fidem vocet, & ad salutem promoveat. Eminet autem inter cæteras tam dignitate, quàm necessitate Discretio spirituum, de qua alii ommissis sermo nobis futurus est. Sed quia, ut diximus superiori Capite, ea obscura, & valdè perplexa est, ne lector statim in limine impingat, & se laqueis involvat, paulò fusiùs explicare oportet, quid hujus gratiæ nomine intelligatur.

II. Quidam cum S. Thoma Discretionem spirituum nihil aliud esse arbitrantur, quàm cognitionem cogitationum cordis, & eam sicut & prophetiam ordinari aiunt ad confirmandam fidei doctrinam. Confirmatio enim in his quæ sunt supra rationem per ea fit, quæ propriè pertinent ad divinam virtutem; cujusmodi est earum

c S. Th. 1. 2. q. 111. art. 4.

SPIRITUUM CAP. II. 15

rerum manifestatio, quas solius Dei est scire; futura scilicet contingentia, pro quibus datur prophetia; & occulta cordium, ad quæ penetranda datur Discretio spirituum. Sic autem accepta Discretio, quamvis sub prophetia comprehendi, & vix ab ea distingui videatur; notabile tamen inter utramque discrimen intercedit. Nam prophetia per se est obscura, nec potest evidens esse nisi in attestante: Discretio verò evidentiam habere potest non solum in attestante, sed etiam ex clarâ intuitionem internarum cogitationum, quæ revelantur. Istæ enim actu existunt, suntque occultæ, vel ex defectu principii cognoscendi, specierum nempe & luminis; vel ex dependentia cognitionis nostræ à phantasmatibus; at verò hæc impotentia facilè à Deo suppleri potest vel per infusionem specierum & luminis, vel per speciale auxilium, quo intellectus eleverur ad operandum sine dependentia à phantasmatibus. Alii rectiùs docent Discretionem spirituum in peculiari motione Spiritus Sancti consistere ad discernendum inter varios motus, à quo spiritu proveniant, bono an malo, sive ad mores spectent, sive ad doctrinam: sive quis interiùs

16 DE DISCRETIONE

& invisibiliter moveatur, & excitetur, si-  
ve exteriori per homines docentes & con-  
sulentes, aut per Angelos sensibiliter lo-  
quentes, vel apparentes. Et hæc est gra-  
tia Discretionis, quam inter gratis datas  
septimo loco recenset Apostolus, quæ à  
Spiritu sancto non omnibus datur, sed qui-  
bus, & quando vult, ad discernendos spiri-  
tus non solum in seipsis, sed etiam in aliis  
ad communem Ecclesiæ utilitatem. Hæc  
autem nihil aliud est quàm illustratio men-  
tis, qua perfusus homo facilè, & sine er-  
rore dijudicat à quo principio tum pro-  
prii, tum alieni motus & cogitationes ad  
electionem pertinentes excitentur; quid  
scilicet à bono, quidve à malo spiritu sug-  
geratur.

III. Sunt qui putent hanc gratiam in-  
fundi per modum habitus, nam de aliqui-  
bus Sanctis legimus virtute quadam ha-  
bituali aliorum cogitationes pro suo arbi-  
tratu perspexisse, imò etiam cognovisse  
quasi ex ipso aspectu an quis esset in statu  
gratiæ, vel damnationis, quæ gratia ma-  
ior est, quàm occultas cogitationes inspi-  
cere. S. Anselmus Cantuariensis, ut in  
ejus vita refert Edinerus, divina luce per-  
fusus mores omnis sexus & ætatis ita dis-  
cretionis

SPIRITUUM CAP. II. 17

cretionis ratione monstrante penetravit,  
ut cuique posset sui cordis arcana revelare.  
Origines etiam, semina, & radices om-  
nium virtutum, ac vitiorum detegebat,  
& quomodo illæ acquiri, & ista vinci, &  
evitari possent luce clarius edocebat. Alii  
plures occurrunt Sanctorum acta legenti-  
bus hoc eodem dono præditi; non tamen  
credo in eorum potestate fuisse omnes  
omnium cogitationes videre quoties vel-  
lent: hæc enim gratia, sicut & reliquæ  
gratis datæ, in Christo solo per modum  
habitus fuerunt, ut concors Theologo-  
rum sententia docet; cæteris datur per  
modum actus sive motionis transeuntis,  
aliis quidem rariùs, aliis frequentius,  
aspirante divinâ gratiâ, quando, & quo-  
modo vult. Optimè de hac re Gregorius  
Magnus. *d In cunctis fidelibus spiritus ve-  
nit, sed in solo mediatore semper singulariter  
permanet, quia ejus humanitatem nunquam  
deseruit, ex cujus divinitate procedit. In il-  
lo igitur manet, qui solus & omnia & semper  
potest. Nam fideles qui hunc accipiunt, cum  
signorum dona semper habere, ut volunt,  
non possunt, hunc se accepisse quasi in tran-  
situs ostensione testantur.* e Idem alibi. Pro-  
d Greg. lib. 2. mor. c. 27. c Lib. 2. Dialog. cap. 21.

18 DE DISCRETIONE

pheta Spiritus Prophetarum mentes non semper irradiat: quia sicut de sancto Spiritu scriptum est, Ubi vult spirat; ita sciendum est, quia & quando vult aspirat. Quod omnipotens Deus ex magna pietatis dispensatione disponit, quia dum spiritum prophetia aliquando dat, & aliquando subtrahit, & mentes elevat in celsitudine, & custodit in humilitate, ut & accipientes spiritum inveniant quid de Deo sint, & rursus non habentes cognoscant quid de semetipsis.

IV. Varios Discretionis modos Joannes Climacus ita describit. *f* Discretio in tyronibus, seu rudibus est perfecta, & vera status sui interioris cognitio. In mediis seu proficientibus est sensus quidam animi, qui bonum proprie dictum à physico, & ejus contrario sine errore dijudicat. In perfectis est cognitio ex divina illustratione orta, quæ obscura quæque in se, & in aliis suo lumine illustrare potest. Generatim verò & omnia comitendo hoc est, & intelligitur esse Discretio, divine nimirum voluntatis certa & firma comprehensio, quovis tempore, quocumque in loco, & negotio quam tantum possident mundi corde, corpore, & ore. Hæc ille, qui dum hanc gratiam solis

f Clim. grad. 26.

SPIRITUUM CAP. II. 19

justis, & mundis inesse affirmat, communi Theologorum sententiæ non adversatur. Licet enim hi doceant omnem gratiam gratis datam etiam in malis reperiri posse, quia ex primario, & intrinseco sine non ad propriam sanctificationem, sed ad aliorum ædificationem tribuitur; si tamen consideremus bonitatem morum secundum passiones animi, & actiones externas, ex doctrina S. Thomæ, certum est per morum malitiam donum Discretionis impediri. Infusio etenim luminis supernaturalis ad hoc necessaria mentis tranquillitatem, & internam pacem requirit, quæ in animo vitii obnoxio, ac terrenis affectionibus perturbato locum non habet. Ideo ut plurimum solis justis, & mundis corde lux ista infunditur, quibus visio Dei rerumque divinarum promissa est dicente Domino <sup>h</sup>: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Hæc est sapientia, quæ in malevolam animam non intrat, nec habitat in corpore subito peccatis, sed in sola anima justis requiescit. Quicquid Dei est illi protinus percipiunt, qui spiritu Dei pleni sunt. Et si gratia Dei bonus odor est, ut testatur

8 2. 94. 172. 471. 4. li. Marchi. 5. 8. i. Sap. 1. 4.

B ij

20 DE DISCRETIONE

Apostolus <sup>i</sup>, anima Deo plena, ejus suavitate perceptâ, post eam currit, & internâ quadam motione animam item cognoscit, in qua Deus inhabitat. Quod verò oporteat perturbationibus carere ad discernendas cogitationes S. Diadochus Photicensis episcopus his verbis docet. & Oportet eos qui certant animum semper extra perturbationem fluctus conservare, ut mens cogitationes incurrentes discernens, bonas quidem, & à Deo missas in penâ memoria recondat, malas verò, & demoniacas ex apothecis nature ejiciat. Mare enim cum tranquillum est, usque ad fundum est piscatoribus perspicuum, ita ut tunc nihil ferè ibi piscium eos lateat; cum verò ventis agitur, tegit tempestate turbidâ, qua in placida tranquillitate largiter facit perspicui. Et infra. <sup>l</sup> Quemadmodum gustu, qui est sensus corporis, bona à malis sine errore, cum rectè valemus, discernentes, ea que sunt suavia appetimus: sic mens nostra cum cœperit integrâ sanitate, & in multa curarum vacuitate moveri, potest etiam divinam consolationem affatim sentire, & à contrariâ nunquam rapi. Concinit scholiastes Climaci dicens <sup>m</sup>: Modestia ani-

<sup>i</sup> 2. Cor. 2. 14. & Diad. c. 26. <sup>l</sup> Idem c. 30. <sup>m</sup> Ad grad. 21.

SPIRITUUM CAP. II. 21

mi, simplicitasque cordis discretionis gratiâ illuminata discrimina spirituum ostendit, & discernere facit. Etiple Climacus <sup>n</sup>, Mare, inquit, est parens & causa fontis, humilitas autem fons, & mater Discretionis. Laurentius item Justinianus de discernendis spiritibus agens <sup>o</sup> hanc raram esse gratiam ait, & paucissimis collatam, illis videlicet, qui sunt corde humiles, mente puri, ac tentationibus variis diutissimè probati. <sup>p</sup> Qui non est tentatus, ait Sapiens, quid scit? vir in multis expertus cogitabit multa. Nihil enim sapientius experientia, nec facile quis potest eâ destitutus mysticas Spiritus Sancti operationes, ejusque occultas semitas, & diversas vocationes, diaboli versutias, & intima cordis penetralia, atque alia ejusdem generis dignoscere, quorum discretio non in simplici notitia, sed in opere, & exercitatione consistit.

V. Huc pertinet quod ait Job <sup>q</sup>, Nonne auris verba dijudicat & fauces comedentis saporem? Quæ verba explicans B. Gregorius <sup>r</sup>, Aliud est, inquit, nominatum cibum audire solummodo, aliud etiam gu-

<sup>n</sup> In sine gr. 25. <sup>o</sup> Lib. de obed. c. 26. p. Eccl. 34. 9.  
<sup>q</sup> Job. 12. 11. <sup>r</sup> Gregor. lib. 11. cap. 4.

22 DE DISCRETIONE

*stare. Electi cibum sapientia sic audiunt ut degustent, quia hoc quod audiunt, eis per amorem medullius sapit. De quo sapore idem alibi hæc habet. Sancti viri inter illusiones atque revelationes ipsas visionum voces aut imagines quodam intimo sapore discernunt, ut sciant vel quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusione patiantur.* Hunc autem saporẽ Cancellarius Parisiensis intimam inspirationem esse docet, & experimentalem dulcedinem, sive illustrationem à montibus æternis omnes tenebras effugantem, & manna absconditum ac nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Inerat hæc gratia S. Monicæ magni Augustini optimæ matri, quæ ut ipse testatur, dicebat, se discernere nescio quo sapore, quem verbis explicare non poterat, quid interesset inter Deum revelantem & animam suam somniantem. Iterum Gregorius audiendus est: *Cum per semetipsum Dominus loquitur, de verbo eius sine verbis ac syllabis cor docetur, quia virtus eius intimâ quadam sublevatione cognoscitur.* Joannes Rusbrochius in regno amantium, Deum hunc sapo-

f Idem l. 4. Dialog. cap. 48. r Gerson. tract. de prob. spirituum. u Aug. l. 6. confes. cap. 13. x Greg. 28. 2007. c. 2. y Rusbr. cap. 33.

SPIRITUUM. CAP. II. 23

rem immensum, inexhaustum, & incomprehensibilem vocat: additque Harphius totam animam eo perfundi. Differet hic sapor à Discretionẽ propriè dicta, quia hæc ad vim intellectivam, ille ad affectivam spectat. Deinde hoc sapore proprii tantum instinctus, & ea quæ quisque patitur & percipit, discerni possunt, in alienis autem motionibus judicandis locum non habet.

VI. Quia verò Discretio ex lumine cœlitus infuso paucorum est, sicut pauci item sunt quibus datum sit prophetare, patrare miracula, loqui variis linguis, & sermones interpretari; ideò alia via discernendi spiritus inquirenda est, quæ communior sit & facilior, illa nimirum quæ per modum artis & doctrinæ sit, examinatis motionum principiis & effectibus, perpensis item regulis, quæ à Spiritu sancto præscriptæ sunt in sacris scripturis, & quas sancti Patres à Deo inspirati, alique Doctores ab experientia instructi tradiderunt. Hæc autem Discretio, licet directè & immediatè ad gratiam gratis datam non spectet, ad eam tamen reducitur, quatenus præceptis utitur

z Harph. l. 3. myst. Theolog. cap. 18.

24 DE DISCRETIONĒ

quæ viri sapientissimi præter scientiam & naturale iudicium spiritu etiam veritatis imbuti, & æqui spirituum ex principiis supernaturalibus ponderatores in suis lucubrationibus reliquerunt. Ex his multa longo studio excerpti, quæ ad certa veluti axiomata sive aphorismos redigam, ut quæ in pluribus libris dispersa sunt, hîc in unum collecta, brevique sermone perstricta habeantur. Moneo tamen, ne quis facillè sibi persuadeat se ex istis instructionibus posse certum & irrefragabile iudicium ferre, nisi accedat experientia, quæ omnino necessaria est ad varias motiones, Deique diversas operationes in anima percipiendas. Nam ut scribit Richardus lib. de præparatione animi ad contemplationem<sup>a</sup>, *Multa quidem de Discretione legendo, multa discimus audiendo, multa ex insito nobis rationis iudicio, verumtamen nunquam de hac ad plenum erudimur sine experientia magisterio.* Debet quoque discretor in simplicitate cordis, & in spiritu humilitatis Deum solum respicere, ipsi soli inniti, & ab eo lumen petere; quia ut ait seraphica virgo Teresa<sup>b</sup>, *Parum ex libris discitur, nisi Deus intus doceat.*

CAPUT.

<sup>a</sup> Rich. 6. 67. <sup>b</sup> Teres. vita sua c. 22.


SPIRITUUM CAP. III. 25

CAPUT III.

*Ad quid se extendat Discretio spirituum. Varii hominum motus & affectiones. Vox spiritus quid significet. Quid & quotuplex sit spiritus. Omnes spiritus ad tres revocari, quorum unus intra nos, duo extra sunt.*

I. **C**UM duplex facultas in homine reperiatur, una viribus ad agnoscendum, altera ad appetendum instructa; utramque autem varii spiritus moveant, & excitent, quidquid ad eas pertinet accurate debet examinari, ne sub specie veri aut boni quidpiam ad malum aut ad errorem inducens diabolicâ fraude irrepat, & humanis actionibus permisceatur. Spectat igitur ad discretionem qualibet mentis excitatio, sive impulsus ad aliquid credendum vel agendum inducens, quod ita verum & bonum appareat, ut tamen veritas & bonitas non sit manifesta; vel periculum saltem immineat, ne ad falsum & malum viam sternat. Sub his comprehenduntur privatæ revelationes, visiones, & apparitiones; internæ item motiones & inspirationes ad aliquid extraordina-

C



26 DE DISCRETIONE

rium vel superstitiosum incitantes: vel ad aliquid aggrediendum supra vires sub fiducia specialis auxilii seu miraculi, sive etiam ad boni status semel suscepti mutationem sub pretextu majoris perfectionis impellentes; & alia ejuldem generis, quae pro bis viris Deo in veritate fervientibus contingentes, eos anxios ac sollicitos reddere solent.


II. Facultas quae cognitioni deservit duas habet potentias, phantasiam & intellectum, quibus potest aut caelestia lumina Deus immittere, aut diabolus errores inserere, sive id immediate fiat, sive hominum ministerio. Quare solerter disquirendum est primo, qui & quales sint homines, cum quibus loquimur & conversamur. *Discretio spirituum*, ait Chrysostomus significat cognitionem, quisnam spiritualis sit, quis non: quis propheta, & quis deceptor. De qua re Christus etiam nos monuit dicens, *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos.* Secundo cavendum est, ne omni vento doctrinae circumferamur, neque sinamus

Chrysost. hom. 29. in 1. ad Cor. b Matih. 7. 15.

SPIRITUUM CAP. III. 27

nos abduci doctrinis variis & peregrinis, sicut monet Apostolus, sed constantes in vera fide Novatorum impulsus, & falsa dogmata despiciamus. At vero in appetitu, qui duplex est, concupiscibilis & irascibilis, magna est series affectionum, quae ex cupiditate & ira tanquam ex duobus fontibus promanantes in plures rivus deducuntur. Plato considerat hominem, quasi monstrum & sphingem ex diversorum animalium partibus constatam, cupiditatem vero latissimam esse ait, multarumque bestiarum capita, innumeras scilicet affectiones continentem. Alibi etiam docet hujusmodi affectiones plures esse sine nomine, itemque plures quae nominantur. Scholastici vero cum Aristotele & S. Thoma undecim enumerant, sub quibus reliquae, si quae sunt, comprehenduntur. Cum enim species boni aut veri aut apparentis sese offert, statim oritur in parte concupiscibili amor, qui si augetur, dicitur zelus. Sequitur desiderium, quod cum est vehemens vocatur concupiscentia. Si bonum est praesens, nascitur dilectatio; quae si exterius exprimitur, hi-

c Ephes. 4. 14. Hebr. 13. 9. d Lib. 9. de Rep. c In Thact. f Arist. 2. Ethic. S. Thom. 1. 2. qu. 23.



28 DE DISCRETIONE

laritas, exultatio, iubilus dici solet. At si obicitur imago mali, adversus illud insurgit odium. Si praesens adest, tristitia existit; quae si est nimia, vocatur taedium: si retardat ab opere, acedia: si est de bono alterius tanquam ad nos spectante, misericordia: si est de malo alieno tanquam minuente excellentiam nostram, invidia: si de malorum prosperitate, qua putantur indigni, nemesis. In parte vero irascibili ex apprehensione boni ardui absentis procedunt spes, & desperatio: ex opinione mali ardui absentis, audacia & timor. Spes nimia in praesumptionem, audacia in temeritatem degenerant. Si timor oritur ex novitate rei, fit admiratio: si ex vehementi apprehensione imminenti adversitatis, fit perturbatio, quae postea definit in stuporem, angorem, & anxietatem. Si res quae timeatur superat vires, fit ignavia & segnities: si habet adjunctam in se turpitudinem, nascitur verecundia; si in aliorum opinione, erubescencia. Si culpa metuitur, ubi non est, scrupulus nuncupatur. Cum vero malum arduum jam iustat, ira erumpit, quae si crescit, in furorem & rabiem transit. Haec animi pathemata, haec perturbationes, hinc sunt, quos in nobis excitant vel Deus,

SPIRITUUM CAP. III. 29

vel sathan, vel ipsa natura nostra. Pertinet autem ad Discretionem quibusdam notis indicare, a quonam principio orientur.

III. Ad alia plura Discretionem extendit Richardus a S. Victore: Pertinet enim ad eam, inquit, quodlibet insidians malum & adhuc latens providere circumspicere, callide deprehendere, citius detegere, acerbius arguere. Ad officium ejus spectat diligenter attendere, frequenter discutere, quantum animus quotidie proficiat, vel quantum forte deficiat, quibus cogitationibus magis incursetur, quibus affectibus frequentius tangatur. Debet non solum vitia sua, sed & gratiarum munera, & virtutum merita nosse: & quae sint bona natura, vel quae dona gratiae subtiliter pensare. Promptum habere debet quibus tentationum machinis malignus cum spiritus impugnet, quantis spiritalium gratiarum consolationibus abundet; quam frequenter divinus eum ritus visitet; quomodo ab ipso, cum sit unus, non tamen uniformiter, eodemque modo semper tangitur, sed nunc spiritu sapientiae, nunc spiritu intellectus, nunc spiritu consilii, vel aliis quibuslibet ejus affectibus repletur. Et ut totum breviter concludam,

De prep. animi ad contempl. cap. 70.

30 DE DISCRETIONE

debet totum interioris & exterioris hominis statum & habitum, in quantum possibile est, plenè cognoscere, nec solum qualis sit, verum etiam qualis esse debeat, subtiliter querere, diligenter investigare. Hæc Richardus. Unum addo, quo clarior evadat hujus rei explicatio, non solum inter bonum & malum, sed etiam inter bonum & melius discretionem adhibendam esse. Ita docet Albertus magnus in paradiso animæ, *Discretio vera est prudenter judicare quid sit bonum, quid melius, quid optimum.* Hæc omnia in toto suo ambitu Discretio spirituum complectitur, sed jam videndum est quid nomine spiritus intelligatur, quidve spiritus sit, & quod duplex.

IV. Nomen spiritus plura significare & Grammaticis notum est & Philosophis, quibus Theologi consentiunt, & sancti Patres<sup>b</sup>. Sumitur enim pro halitu, sive respiratione; *Non habebat ultra spiritum:* pro vita, *revixit spiritus ejus:* pro aëre moto & impulso, *adduxit spiritum*

g Albertus cap. 34. h Athanas. ad Serap. de sp. sancto. Dydim. l. 3. de sp. sancto. Epiph. her. 74. n. 9. Aug. 14. de Trinit. cap. 14. & 12. de Gen. ad lit. c. 7. Chryl. hom. 5. contra Jovinianum. Bonav. 1. sent. dist. 10. q. 3. l. 2. Reg. 10. 5. & Gen. 45. 27. l. Gen. 8. 1. m. Eccl. 12.

SPIRITUUM CAP. III. 31

super terram & imminuta sunt aquæ: pro anima rationali, *spiritus redeat ad Deum qui fecit illum;* pro potentiis animæ, *& exultavit Spiritus:* pro Angelis bonis & malis, *qui facis Angelos tuos Spiritus:* pro Deo optimo maximo, *spiritus est Deus:* pro tertia persona sanctissimæ Trinitatis, *accipite Spiritum sanctum:* pro cognitione intellectiva supernaturali *verba qua loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt:* pro iracundia, *requievit spiritus eorum, quo tumebant:* pro dono Spiritus sancti, *spiritus sapientie & intellectus:* pro intimo ac vehementi animi sensu, *infremuit spiritu, & turbatus est spiritus.* Medici verò cum tria genera spirituum tradunt, vitalem, animale, & naturalem, sumunt spiritum pro substantia quadam subtili, aëreâ, dilucidâ, & tenuissimâ, qua defertur virtus à præcipuis membris ad reliqua, ut suas valeant operationes exercere. Istæ verò acceptiones alienæ sunt à nostro instituto. Significat tandem spiritus internam inspirationem, sive impulsum, instinctum, & motionem, qua quis seipsum sentit ad aliquid agen-

n Lec. 1. 47. o Psal. 103. p Ioan. 4. 14. q Ioan. 10. 3. r Ioan. 6. 64. s Iud. 8. 3. m Esai. 11. 2. v Io. 11. 33. & 13. 27.

32 DE DISCRETIONE

dum vel non agendum incitari, ut cum dicit Scriptura, *Nolite omni spiritui credere: itemque, Nescitis cuius spiritus sitis: & alibi, Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* Hoc sensu nomen spiritus in hoc tractatu accipitur ab halitu respirationis ductâ analogiâ; nam quia halitus ex corde procedit, & illius dispositionem ac motum indicat, indetranslatus est spiritus ad quoslibet animi motus & impulsus, quo homo interiùs ad aliquem actum humanum incitatur; qui nihil aliud est, quàm apprehensio sive iudicium intellectus, & inclinatio voluntatis ad opus vel omissionem operis, sive à principio intrinseco, sive ab extrinseco moveatur.

V. Aliquando nomine spiritus non ipsos afflatus & inspirationes, sed earum auctores intelligimus, qua ratione spiritus bonus, spiritus nequam, spiritus hominis, qui est in homine sæpe in scripturis nominantur. Sive autem spiritus ipsos afflatus & motus animi, sive principia eorum significet, sex illos esse auctores Bernardus in eo sermone, qui de septem spiritibus titulum præfert, cum de sex inscribi de-

y 1. Ioan. 4, 1. Luc. 9. 55. 1. Cor. 2. 12.

SPIRITUM CAP. III. 33

beat. Primus est divinus, de quo Psalmista ait, *audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Secundus angelicus, quem Zacharias propheta commemorat, dicens, *Angelus qui loquebatur in me.* Tertius diabolicus, *immissiones scilicet per Angelos malos;* ut in Psalmo scriptum est. Quartus est spiritus carnis, cuius meminit Apostolus, cum Coloffensibus scribens quosdam *spiritu carnis sue inflatos esse testatur.* Quintus est spiritus huius mundi; quem idem negat Apostolus, accepisse, sed spiritum qui ex Deo est. Sextus est spiritus humanus, de quo ibidem legimus, *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso?* Ex his spiritibus tres semper mali & falsi sunt, diabolicus, carnalis, & mundanus: duo semper boni & veraces, divinus, & angelicus: unus indifferens & medius, nempe humanus, quia tam bono, quàm malo indifferenter adhæret & servit. Rectè Hugo in Miscellaneis: *Spiritus Dei & spiritus diaboli immobiles sunt, alter in bono, alter in malo. Spiritus hominis nunc huc, nunc illuc fluctuat.* Possunt igitur omnes

z Psal. 84. a Zach. 1. b Psal. 77. c Coloss. 2. 18. d 1. Cor. 2. 12 e Ibidem 7. 11. f Lib. 1. 11. 10.

34 DE DISCRETIONE

spiritus ternario numero comprehendit, & ad divinum, diabolicum, & humanum contrahi, si angelicum divino, carnalem & mundanum diabolico jungamus. Angelus enim bonus ex semetipso non loquitur. Carnis verò & mundi spiritus satellites sunt magni principis tenebrarum, & quæ ex parte illius sunt suggerunt nobis.

VI. Horum spirituum unus intra nos est, ipsa nimirum unicuique insita natura, quæ spiritus humanus dicitur: duo extra nos sunt, divinus, & diabolicus. Licet enim motiones ab his excitatæ, si considerentur ut actiones vitales sunt, à principio intrinseco oriri dicantur, ab his tamen distinguuntur, quas per se natura excitat sine ullo externo agente, à quo primum moveatur, & hoc sensu principia extrinseca nuncupantur. Magni autem momenti est clare dignoscere à quonam principio omnis motio procedat. Certum quippe est per unum & eundem impulsus ad contrarios fines Deum & diabolum tendere, unde magna ambiguitas est in omni motione discernenda. Quod si principium cognoscamus à quo procedit, nulla amplius hæsitatio remanebit; Deus enim semper ad bonum, semper diabolus ad

SPIRITUUM CAP. IV. 35  
malum impellit. Deinde si quis intelligat se à Deo moveri, multò alacrius exiliet ad opus: & si diaboli vestigia in aliqua re deprehendat, multò citius ab ea recedet. Alia denique remedia adhibenda sunt homini qui ad aliquod malum à propria natura impellitur: alia illi, qui cum naturaliter ab aliquo vitio abhorreat, ad id nunquam diabolicâ suggestionem incitatur.

CAPUT IV.

*Difficile esse discernere à quonam principio sint instinctus & motus nostri, ab intrinseco, an ab extrinseco. Nota aliquot & regulæ ad id traduntur.*

I. **C**UM duplex sit principium omnium motuum animæ nostræ, ut supra dictum est, intrinsecum unum, nempe ipsa natura nostra, sive spiritus humanus; alterum extrinsecum, Deus scilicet, vel diabolus: magnique momenti sit posse discernere, à quo ipsi motus, impulsus, instinctus, cogitationes, & affectiones nostræ orientur, priusquam ulterius progrediamur, aliquot regulæ ad id necessariae præmittendæ sunt, quas sancti Patres divinitus inspirati tradiderunt. Difficilis

enim est hæc Discretio, & vix paucis concessa, quibus Deus uberiorem Spiritus sui gratiam conferre dignatus est. Nec mirari quisquam de hoc debet, ut ait Gerson " cum paucissimos inveniamus qui plene sciant secernere cogitationes & affectiones sue rationalis animæ, ut rationalis est, ab illis quæ sunt animales, videlicet in sensu communi, vel in organo phantasia. Quem invenies precor ex timentibus Deum, & peccata fugientibus, qui semper & in omnibus ad liquidum prospiciat, dum tentationes vigent, si sensus eorum sit tantummodo in imaginatione, vel consensus in ratione? Adeo non facile est discernere sensum à consensu. Quanto plus habet difficultatis probatio spiritus, dum videlicet instinctus unus vel inspiratio vehemens tangit mentem, si sit à Deo, vel ab Angelo bono aut malo, vel à proprio spiritu humano? cuius rursus sensus portio duplex superior & inferior adscripta est: cuius sentire divisionem perfecte dat illud verbum Dei quod pertingit usque ad divisionem spiritus & animæ. Hæc Gerson. Sed præstat audire Bernardum <sup>b</sup> ex alta sua sapientia de hac re differentem. Quis ita vigilet diligens ob-

a Gerson. de prob. spirituum. b Serm. 33. in Cant.

servator motionum internarum suarum sive in se, sive ex se factarum, ut liquidò ad quæque illicita sensu cordis sui discernat inter morbum mentis, & morsum serpentis? Quælibet enim quis omni custodia servet cor suum, & omnia quæ intra se moventur vigilantissima intentione observet, etiam si diuturnum forte in his habuerit exercitium & frequens experimentum, non poterit tamen ad purum in se dignoscere discernere ab invicem malum innatum, & malum seminatum. Nam delicta quis intelligit? & ego non possum tradere vobis, quod non accepi. Non autem accepi fateor, unde assignem certam notionem inter partem cordis & seminarium hostis. Quippe utrumque malum, utrumque à malo, utrumque in corde, sed non utrumque de corde. Hoc totum certum mihi in me, & si incertum quid cordi, quid hosti tribuam. Hactenus doctor mellifluus, qui prius distinxit duplex genus cogitationum: quasdam enim cor intus parit, quasdam audit. Illæ à principio intrinseco, hæ ab extrinseco sunt. Tum certam notam & criterion tradidit, quo discernantur quæ à Deo sunt ab his quæ intus à nobis producuntur. Nam cum mala, inquit, in corde versamus, nostra co-

gatio est, si bona, Dei sermo est. Illa cor nostrum dicit, hæc audit. Itaque pacem, pietatem, justitiam Deus in nobis loquitur: nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Cæterum homicidia, adulteria, furta, blasphemia, & his similia de corde exeunt, nec audimus ea, sed dicimus.

I. Est igitur, teste Bernardo, prima & infallibilis regula, quod omnis bona cogitatio, omnis ad bonum instinctus à Deo est: nam ut ait Augustinus, *Quicquid bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summè & incommutabiliter bonus est.* Rationem affert Prosper<sup>d</sup> dicens, *quia cum nemo sit bonus, nisi solus Deus, quale erit bonum, quod auctorem non habet bonum?* ex nobis verò, teste Apostolo non sumus sufficientes aliquid cogitare tanquam ex nobis, sed sufficientiam nostra ex Deo est, qui omnem boni sufficientiam benigne nobis subministrat. Sicut enim subsistere non possumus sine illius operatione qui fecit nos; ita nec bonum velle aut cogitare valemus, nisi munere gratuito divinæ opitulationis adjuvemur.

II. Mala cogitatio ex nobis est sed non

<sup>c</sup> Lib. 2. ad Bonif. cap. 9. d. Adv. collatorem, cap. 26.  
<sup>e</sup> 2. Cor. 3. 5.

semper. Est enim aliquod malum, quod corde quidem sentitur, non tamen exit de corde sicut nostra cogitatio; sed immititur à contrariis potestatibus, quale fuit quod diabolus in cor Judæ misisse legitur, ut traderet Dominum, clandestinis avaritiæ facibus miserum accendendo. Quamvis autem immissiones istas per angelos malos à cogitationibus sive affectionibus, quæ ex nobis oriuntur, indubitanter discernere non valeamus, ut ex allatâ Bernardi sententiâ constat; non desunt tamen probabilia quædam signa & conjecturæ, quibus illæ ab istis secernuntur.

III. Illa, ad quæ movemur à principio intrinseco, liberè inchoamus, prosequimur, perficimus, liberè intermittimus & abjicimus; & cum status præsens exigit, ad ea nos excitari experimur. Illorum verò, quæ ab extrinseco adveniunt, nec initium est in nostra potestate, nec facile possumus progressum impedire: animum etiam ex improvise plerumque præoccupant, nulla præsentis causa præexistente. Idcirco quæ ab intrinseco sunt, certis notis & indicis à Philosophis moralibus traditis dignosci queunt; quæ autem ab extrinseco procedunt, nullam certam rationem, nullam

40 DE DISCRETIONE

regulam nobis notam habent. Etenim si bona sunt, à Deo pendent, cujus spiritus ubi vult spirat, & nescimus unde veniat, aut quò vadat: Si mala, à dæmone suggeruntur, cujus perversa voluntas, & mille nocendi artes nulli mortalium satis perspecta.


IV. Principio extrinseco tribuendi sunt motus, qui vires naturales superant, quia natura seipsam non excedit. Illi quoque forinsecus immitti censentur, quos impetu quodam quasi aliunde immisos patimur, nam motus naturæ placidiores esse solent. A foris item sunt, cum nulla in nobis dispositio, nulla præcedens occasio, nullus humorum excessus, nulla perturbatio inveniri potest, cui adscribantur.

V. Cum malæ cogitationes excitantur in mente, hinc agnoscere possumus unde trahant originem. Si enim incipiunt in imaginatione ex turpium rerum repræsentatione, postquam in carne pravus motus exurgat, ejus solet esse suggestio, cujus halitus prunas ardere facit. Si verò motus primitus excitatur in carne, & inde turpes subsequuntur cogitationes, mali initium à pravitate naturæ est, & à concupiscentia quæ regnat in mortali corpore.

SPIRITUUM CAP. IV. 41

re. Hoc inditio vir sanctus & sanctorum prudentiâ plenus Philippus Neri non à carne, sed à diabolo emanasse cognovit impuram quamdam tentationem, quæ in ipso exorta est ad aspectum cujusdam pauperis, quem nudo corpore obvium habuit Romæ prope Amphitheatrum: erat enim malignus hostis, qui hominis specie se illi objecerat, ut refert Gallonius in ejus vita. Quia verò in omni tentatione potentissima orationis arma arripere oportet, quibus sathan vincitur & in fugam vertitur: si post longam & ferventem orationem pravi motus perseverant, non à dæmone eos esse, sed à natura probabile est.

VI. Hoc item observandum, sæpe multa diabolo tribui, quæ depravata ac perturbata naturæ germina sunt. Corporum enim constitutio, & humorum, præsertim melancholici, exuperantia; pravæque consuetudines, ac subitaneæ perturbationes gravissimas efficiunt commotiones, adeo ut multi à malo spiritu obsessi & possessi perperam existimentur, qui non nisi naturali morbo exagitantur. Idem accidit in bonis motibus. Nam fervor ætatis & complexionis, ingenii acumen, & vehemens apprehensio varios affectus



42 DE DISCRETIONE

aliquando excitant, lacrymas & suspiria, altissimos animi sensus & cogitationes, ecstases quoque & alienationes, quæ cum à causis naturalibus oriuntur, ab ignaris tamen divino spiritui adscribuntur.

VII. Instinctus gratiæ ab instinctu naturæ his notis dignoscitur, quas auctor libelli de Imitatione Christi / fusiùs profequitur, & quia liber vulgatissimus est, hîc prætermitto. Illud autem maximè notandum, quod fervor procedens ex naturali temperamento, gravi aliqua difficultate superveniente, statim languet & evanescit: at qui ex Deo provenit, superato omni impedimento, ex periculis vires, & ex adversitatibus incrementum sumit; illa enim virtute roboratur, de qua scriptum est, *Aqua multa non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

VIII. Divinæ inspirationis initium semper est à gratia, quæ voluntatem nostram prævenit, adjuvat, perficit. Unde est illa Domini sententia, *sine me nihil potestis facere.* Nullum enim bonum in nobis est, nisi à summo bono nobis done-

f Lib. 3. c. 34. g Cant. 8. 7. h Ioan. 15. 5.

SPIRITUUM CAP. IV. 43

tur. Cumque nos ea delectant, quibus excitamur ad Deum, non nutu nostro ac industriâ hoc fit, sed qui seminat in corde bonum semen, ipse idem rigat & dat incrementum, ut possit voluntas nostra ab eo sanata, quod per se vitiata non potest. Quia verò natura sibi relicta semper ad malum prona est, hinc fit, ut nonnunquam diabolici instinctus ab ipsa natura initium sumant, à qua exilientes scintillas pravis suggestionibus dæmon eventilat & accendit. Optimè ille novit quæ sint vires humanæ naturæ post lapsum primi parentis, & quàm vehementer ipsa se suæ corruptionis pondere ad peccatum impellat. *Homo, inquit Bernardus, impulsor sibi est & suimet præcipitator, ut non sit quod ab altero impulsore formidet: nam suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest.* Sponte igitur in lubrico constitutos sæpe hostis impellit, conatus suos validiores fore confidens, si cum naturæ motu consenserint. Liquet ex his initia bonorum semper à Deo esse, malorum autem instinctus vel à diaboli suggestionem in nobis oriri, vel ab ipsa naturæ ad malum inclinatio-

i Ser. 85. in Cant.

44 DE DISCRETIONE  
ne absque opera extrinseci impulsoris.

IX. Quando internæ motiones à nobis ipsis oriuntur, suaviter ut plurimum ac leniter exurgunt, motumque ac vires naturæ ferè sequuntur: at cum veniunt ab extrinseco, duplex in iis modus observatur. Unus est, cum placidè incipientes ita se naturæ accommodant, ut omninò naturales existimentur: alter, cum violentiùs irruunt, nosque adeò vehementer concitant, ut agi potiùs quàm agere videamur. Manet tamen in his motibus illæsa semper & inconcussa humana libertas: nam diabolus, licet impellat, non nisi consentientes & non resistentes evertit. Deus verò, cum ad bonum nos incitat, dat simul velle & consentire; & tunc verè liberi sumus, cum nos liberat à servitute peccati, & transfert in libertatem filiorum Dei.

X. Si motus pravus est, nihil prorsus refert discutere & scire, sitne à proprio, an à maligno spiritu: vigilandum potius & orandum, ne consensum illi præbeamus, undecunque proveniat. Bono autem instinctui, qui Dei solius est, obedire statim oportet, satagendo ne in vacuum

SPIRITUUM CAP. IV. 45  
gratiam Dei recipiamus.

XI. Cæterum nulla regula excogitari potest, quæ in aliquo singulari casu aut non fallat, aut fallere non possit; præter eam quæ desursum est à Patre luminum descendens. Sed neque certa demonstratione constare nobis potest, quod sancti spiritus magisterio edocti bonum à malo, proprium ab alieno discernamus, quia & spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Et Job ait <sup>1</sup>, quasi furtivè suscepit auris mea venas susurri ejus: & iterum, si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam. Servanda itaque præscripta ab Apostolo documenta, spirituum nolite extinguere: prophetiam nolite spernere: omnia autem probate, quod bonum est tenete. Hæc autem probatio tunc legitima esse censetur, cum sedulum de re proposita examen instituitur; atque omnis motio ad superiorum ac peritiorum judicium refertur. Sic cum Joseph <sup>2</sup> narrasset patri somnia sua, increpavit eum pater, sed rem tacitus considerabat. Sic Helias non in turbine adesse Dominum, non in com-

<sup>1</sup> Ioan. 1. 8. 1 Job. 4. 12. Idem. 9. 11. m. 1. Thess. 5. 19. n Gen. 37. 0 3. Reg. 19.

46 DE DISCRETIONE

motione, non in igne, sed in sibilo auræ tenuis, rem serio examinans cognovit. Sic Beata Virgo<sup>p</sup> ab Angelo salutata cogitabat qualis esset ista salutatio. Sic Samuel<sup>7</sup> voce Domini audita ad Heli protinus cucurrit, ejusque monitis obedivit. Sunt qui dicunt se alieno judicio non credere, quia de suo certi sunt per occultam Dei revelationem. Sed his respondendum est posse hominem decipi, cum sibi credit: si autem credit superiori, aut consulit peritiores, errare non potest: respicit enim Deus animam humilem, & si revelatio vera est, nunquam permittit ut alterius judicio elidatur.

CAPUT V.

*In licium quo fit Discretio, non esse certum & infallibile, nisi ad sit expressa revelatio. Ad discernendum inter varios spiritus per modum artis multa requiri. Quædam ad id regula præscribuntur.*

I. **Q**uod in fine præcedentis Capituli diximus, nullam certam & evidentem regulam dari, qua discerni spiritus possint, id paulò fufius & distinctius

P Luc. 1. q 1. Reg. 3.

SPIRITUM CAP. V. 47

tractandum est, antequam de singulis spiritibus differamus, ut è salebris, in quas multi impingere & labi solent, initio operis Deo juvante evadamus. Norunt omnes in hac palæstra exercitati dubiæ quæstionis esse, si tunc evidens vel obscurum, certum vel incertum illud judicium, per quod spiritus discernuntur, si ve dono specialis gratiæ id fiat, si ve per modum artis & doctrinæ. In cujus rei explicatione ut ordinatim procedamus, de illo primum, quod fit per gratiam Spiritus sancti, agendum est, quod sanè certum & infallibile videtur esse, sicut est prima & summa veritas, quæ ipsum suggerit & inspirat. Nihilominus dicendum est hoc judicium non esse evidens per evidentiam rei in se, si ve in causa; quia causa est occulta, & non conceditur judicanti visio perspicua & intuitiva illius spiritus, cujus instinctum dijudicat, si ve bonus, si ve malus ille sit: neque per evidentiam ab effectu, quia si posset ab effectibus evidenter cognosci, non esset ad ta e judicium gratia specialis necessaria. Asserendum item est non esse propriè & formaliter certum, quia esset assensus fidei, cui proprium est certitudinem habere cum inevidentia; vel



48 DE DISCRETIONE

esset assensus propheticus per expressam revelationem, de cuius ratione est divina auctoritati & veritati inniti. At hoc iudicium sit per instinctum Spiritus sancti sine expressa revelatione, & qui hoc modo discernit spiritus, non est certus Deum esse, qui ipsum movet ad ita iudicandum, nec id alteri proponit, ut de fide credendum: ex quo fit, ut iudicium certum non proferat, atque interdum decipi possit, quod aliquando prophetis contigisse magnus Gregorius testatur <sup>a</sup>. Quia vero Spiritus sanctus non movet speciali instinctu, nisi ad id quod reipsa verum & certum est, potest hoc iudicium infallibile dici ex parte principii moventis, ac proinde materialiter certum: quamvis in eo qui iudicat nulla sit certitudo, quia profus ignorat, aut saltem dubitat; an illud iudicium ex motione & directione Spiritus sancti procedat.

II. Quod si adsit expressa revelatio cogitationum cordis, cujuscunque modi illa sit, aderit proculdubio certitudo, firmus scilicet assensus & firma adhesio intellectus ad objectum, ut enim docet Angelicus Doctor <sup>b</sup> agens de prophetia duplici

<sup>a</sup> Homil. 1. Ezec. b 2. 2. qu. 171. a. 5.

modo

SPIRITUUM CAP. V. 49

modo mens propheta à Deo instruitur, vel per expressam revelationem, vel per occultum instinctum, quem interdum humanae mentes etiam nescientes patiuntur, ut scribit Augustinus <sup>c</sup>: & in hoc nulla est certitudo. Quae verò expresse revelata sunt maximam habent certitudinem, & quoad revelata, & quoad ipsam revelationem. Hinc Abraham <sup>d</sup> paratus fuit ad filium suum unigenitum immolandum, quod nullatenus fecisset, nisi certè & evidenter cognovisset, id sibi à Deo revelatum & imperatum fuisse. Jeremias quoque cum sanctae civitatis excidium praedixisset, & hac de causa addictus morti pro se deprecaretur, scitote, inquit <sup>e</sup>, & cognoscite quod si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis: in veritate enim misit me Dominus ad vos, ut loquerer in auribus vestris omnia verba haec. Erat ergo propheta persuasissimus se Deo revelante accepisse vera quae populo locutus est, cujus certitudinis rationem reddens Bernardus ait <sup>f</sup>: Pessima matris ignorantia pessima iidem filiae duae sunt, falsitas & dubietas, illa miserior, ista misera-

<sup>c</sup> Lib. 2. de Gen. ad lit. c. 17. d Gen. 22. e Ier. 26. 15.  
<sup>f</sup> Ser. 17. in Cant.

E

50 DE DISCRETIONE

*bilior; perniciosior illa, ista molestior. Cum loquitur spiritus, cedit utraque: & est non solum veritas, sed & certa veritas. Est quippe veritatis ille spiritus, cui contraria falsitas est. Est & sapientia, qua cum sit candor vite aeterna, & ubique attingat propter munditiam suam, obscurum ambigui non admittit. Hoc donum quosdam eximiae sanctitatis viros à Deo percepisse manifestum est. Sancti Patres veteris testamenti à Deo illustrati facile cognoverunt Angelos sibi apparentes à Deo esse: imo Hieronymus in cap. 3. Isaia constitutos asserit in populo Judæorum sacerdotales gradus, qui prophetias & pseudoprophetias discernere, & intelligere, quinam de spiritu Dei, qui de contrario loquerentur. Sub lege autem Evangelica innumerabiles proferre possem, qui hac gratia singulariter præditi intimos cordis recessus penetrabant, omnes diaboli insidias detegebant, cunctosque instinctus accuratissime discernabant. Euthymius & Abbas internos Monachorum suorum motus ex externo aspectu veluti per speculum cognoscebat, clarè perspicuus cum quibus quisque cogitationibus de-*

*8 Cytillus Mon. in ejus vita.*

SPIRITUM CAP. V. 51

*certaret, quas superaret, & à quibus diabolico instinctu superaretur. Theodorus Archimandrita<sup>b</sup> oblatum sibi argenteum calicem affabrè elaboratum noluit accipere, quia Discretionis spiritu etiam ad insensibilia se extendente cognovit fabricatum fuisse ex situla argentea mulieris peccatricis. Eodem spiritu imbutus Ven. Alphonfus<sup>i</sup> de Oroasco ordinis S. Augustini numquam induci potuit, ut Magdalenam à Cruce Cordubensem, cujus vitæ singularis fama totum repleverat orbem, alloqueretur; tandemque innotuit eam spiritu superbiæ delusam fuisse. Idem ei accidit cum moniali Lusitana, quæ stigmata in manibus, pedibus, & latere ficta ostentabat. Petrum quoque de Pedrola, quem tanquam prophetam omnes colebant, ad suum colloquium admittere noluit, cum alioquin benignissimus esset: & hic postea à supremo fidei tribunali extremo supplicio punitus fuit. Joannes à Cruce<sup>k</sup> magnus Carmeli restaurator, cujusdam Monialis, quæ scientiam scholasticam pacto cum dæmone inito assecuta, cum peritioribus magistris disputabat,*

<sup>i</sup> Apud Surium. 22. Apr. i Io Marquez vite ejus c. 13  
<sup>k</sup> Lib. 2. vita ejus c. 33.



52 DE DISCRETIONE


fraudem & imposturam detexit. In Catharina Senensi cognitio prophetica & discretio mirabilis fuit, nihil enim ea absente agebant domestici, quod illi celaretur: secreta etiam cordium cogitationes ita ipsis indicabat, ac si eas in proprio corde versaret. Fateretur de se ingenuè P. Raimundus, quod cum sancta virgo aliquid in illo reprehenderet, ipsa se excusare conanti dixit: *cur mihi negas pater, quod evidentiùs cerno, quàm tu ipse qui id cogitas?* In seraphica ac verè Theodidacta virgine Theresia<sup>m</sup> tanta erat certitudo, quod ejus revelationes à Deo essent, ut in relatione suæ conscientie confessario suo hæc scripserit: *Diebus quibus quæta sum & mente in Deum fixa, quamvis in unum coirent quotquot sunt litterati & sancti, meque omni tormentorum genere afficerent, nunquam induci potero ut credam demonem auctorem revelationum mearum esse, neque possem hoc credere, & si maximè id vellem.* Subdit post hæc: *Tametsi certò credam hujusmodi visiones à Deo esse, nihil tamen omnino agerem, nisi eorum jussu, qui mei curam habent.* Omitto plura his similia, quæ in gestis sanctorum adeo fre-

*1 Apud Surinam Apr. 29. in Ribera vita ejus lib. 4. c. 26.*

SPIRITUUM CAP. V. 3

quenter occurrunt, ut ex iis prolixus liber confici possit.

III. Si autem Discretio fiat per modum doctrinæ ex regulis & conjecturis prudenter applicatis, atque omnibus circumstantiis accuratè perpensis, cum signis & præceptionibus innitatur non excedentibus probabilitatem, hinc manifestè infertur semper judicium fieri cum formidine & incertitudine. Porro si regulis & signis, quæ per discursum ad ferendum judicium adhibentur, judicantis peritia, rerumque usus, & longa experientia accesserint, haberi profecto poterit moralis quædam certitudo; sed non adeo firma, ut omnem excludat dubitationem. Illud verò advertendum, quod licet Discretio in ferendo judicio de his quæ in alio fiunt minùs certa videatur, quàm de his quæ judicans in seipso experitur, quia tamen affectus ad res proprias mentem à recto facile abducit, tutius est ab alio potius quàm à se probari spiritus, omnemque instinctum ad prudentem directorem referre. In tanta denique judicii incertitudine & obscuritate ne rector animarum in sathanæ laqueos impingat, seque & alios temerè prolatâ sententiâ in dis-



54 DE DISCRETIONE

crimen salutis conjiciat, præscribendæ quædam regulæ sunt ab eo diligenter servandæ, ut caute & prudenter in re tanti momenti procedat.

1. Quia omne bonum defursum est, & sine Dei gratia omnes conatus nostri inutilis sunt, ipsius auxilium humili prece ante omnia implorare oportet, ut mittat defuper spiritum sapientiæ & intellectus, qui depulsâ caligine mentem illustret, aternæque veritati faciat semper inhære, quæ nec fallere nec falli potest.

2. Cum scriptum sit *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis: fitque sacra scriptura, sicut ait Apostolus, divinitus inspirata utilis ad docendum, & ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus; sufficiens apparatus ad spirituum discretionem in ea procul dubio reperitur, atque ideo regulæ in ea contentæ expendi debent. Nam ut optime observat auctor commentariorum in epistolas Pauli apud Ambrosium, Quæcumque Apostolorum & Domini dictis congruunt, ea benè dicta habenda sunt & retinenda: ab his autem, quæ inimica fidei videntur abstinendum.*

*n. Psal. 118. o. 2. ad Timot. 3. 16. p. in ep. 1. ad Thef. cap. 5.*

SPIRITUUM. CAP. V. 55

Solent enim spiritus immundi fallaciter quasi per imitationem dicere bona, & inter hæc subinducere prava, ut per hæc quæ bona sunt accepto ferantur & mala: ut quia unius spiritus dicta putantur, non discernantur ab invicem: sed per id quod licitum est, commendetur illicitum, auctoritate nominis, non ratione virtutis. Eandem regulam tradidit Aelredus abbas, S. Bernardi discipulus. *Ut error humanus, ait ille, vel demonum suggestio certo examine, ac sancti spiritus possit revelatione discerni: præfixa est fidei regula, præscripta spei promissa, promulgata charitatis præcepta, ut quæcumque sententia occurrens animo his non convenire probetur, eam aut fallacia demonum, aut humano errori incunctanter adscribas: quæcumque verò à sacris paginis convenienter elicita vel ad fidem erudit, vel ad spem erigit, vel ad charitatem accendit, ipsam & à sancto spiritu sacris litteris insertam, & ab eo tibi revelatam non dubites. Quævis autem in sacris litteris optima ad discernendos spiritus institutio contineatur; non sunt tamen omittenda sanctorum Patrum documenta, quæ solida & utilia sunt; &*

*9 Serm. 1. in c. 13. Isaiæ.*

nos multa in hoc tractatu dabimus ab his studiosè collecta.

3. Considerare attento animo oportet quid fiat in proprio corde, ut ex illis aliorum cordium motus utcumque cognoscantur, sicut scriptum est: *Intellige que sunt proximi tui ex te ipso.* Nam sicut Gerson præclare scribit, *probare spiritus per modum artis & doctrinæ nemo perfectè potest per solam sacræ scripturæ eruditionem, qui non etiam experitus sit in semetipso variam affectionum spiritualium pugnam, tanquam ascenderit nunc in caelos, nunc descenderit in abyssos, & viderit mirabilia Dei in profundo.* Nam qui navigant mare hoc mysticum diversarum affectionum quasi collidentium se fluctuum, enarrant mirabilia ejus. Inexperitus autem talium quid novit eorum? Hæc Gersonis consideratio prudentissima est; cum enim sacra scriptura & sancti Patres singulares eventus non attingant, experientia rerum magistra certius docebit, qua ratione regulæ generales casibus particularibus sint applicandæ.

4. Ad hanc experientiam accedere necessario debet omnium virtutum usus

x Eccl. 31. 18. (De prob. spirituum.)

& praxis, sine quibus nemo potest ad Discretionis perfectionem pervenire. Quid enim factò opus sit in quolibet instinctu, nemo melius scire potest, quàm qui didicit ex his quæ passus est experientiam. Hujus regulæ auctor est Richardus Victorinus: *Prius, inquit, nos oportet in singulis virtutibus exerceri, & quid in unaquaque possimus experiri, quam possimus de omnibus plenam scientiam percipere, & de singulis sufficienter judicare.* Multa quidem de discretionem legendo, multa discimus audiendo, multa ex insito nobis rationis judicio; veruntamen nunquam de hac ad plenum erudimur sine experientia magisterio. Post omnes sequi oportet, qui de omnibus judicare debet. Primum ergo est, ut satagamus singulis virtutibus studium frequens impendere, quod dum facimus, necesse est nos sæpius cadere: oportet ergo nos sæpe resurgere, & per frequentem lapsum addiscere qua vigilantia, qua cautela oporteat virtutum bona acquirere, vel custodire. Sic sic dum longo usu virtutum disciplina addiscitur, quandoque mens diu exercitata ad plenam morum discretionem perducitur.

z De prep. ad contempl. c. 67.



58 DE DISCRETIONE

5. Cognitio, ut docet S. Thomas<sup>u</sup>, aliter invenitur in homine, quam in Deo & in Angelis: homo enim obtenebrato intellectu veritatis notitiam per discursum habet, unde accidit ei dubitatio & difficultas in discernendo & iudicando. In Deo autem & in Angelis nulla huiusmodi difficultas reperitur, quia in eis est simplex notitia veritatis absque discursu & inquisitione. Cum igitur homo hac simplici cognitione careat, propriam imbecillitatem præ oculis semper habere, & quacunq[ue] polleat experientiã, prudentiã, ac naturali capacitate, non ei inniti debet, sed soli Christo, in quo sunt omnes thesauri sapientiã & scientiã Dei. Si in spiritu gratiã ejus spirituum examen cum cordis humilitate instituat[ur], rectum erit iudicium, ipse enim dixit<sup>r</sup>, *qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, ipse discretor est cogitationum & intentionum cordis: ipse via, veritas, & vita.

6. Humilitas necessaria est, ne quis decipiatur, & ut omnia ad prudentem directorem deferantur. Ideo Christus admonuit nos<sup>r</sup>, ut caveamus ne lumen quod in nobis est tenebrã fiant; hoc est ne

<sup>u</sup> De verit. q. 24. artic. 3. x Ioan. 8. 12. y Luc. 11. 35.

SPIRITUUM CAP. V. 59

mens quã obedienciã & humilitate comitantibus pro lumine nobis est, superbiã, propriiq[ue] iudicii tenebris, veluti caligine, offundatur. Monitum quoque sapientis est<sup>r</sup>, *Ne initaris prudentiã tuã*. Cassianus vitã spiritualis magister eximius, *Nullò*, inquit<sup>a</sup>, *alio vitio tam precipitem diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quã cum neglectis consiliis seniorum in suo iudicio persuserit ac definitiõne, doctrinãve confidere*. Hoc documentum exactissime observabat S. Abbas Dorotheus, qui de seipso sic scribit. *Quando eram in cœnobio, exponebam omnia seni abbati Ioanni. Nunquam enim presumebam facere quidpiam absque illius sententiã. Accidit aliquando ut cogitatio mea mihi suggereret: nunquid hoc tibi dicturus est senex? quid vis ipsi molestus esse? & reponebam cogitationi: Anathema tibi, & iudicio tuo, & intelligentiã tuã, & prudentiã tuã, & scientiã tuã, quia id quod nosti, à demonibus nosti. Abibam igitur & senem interrogabam, acciditque nonnunquam, ut id ipsum mihi quod cogitaveram, responderet. Tum mihi mea suggerebat cogitatio. Quid ergo?*

<sup>r</sup> Prov. 3. 5. a Collat. 2. cap. 11.

60 DE DISCRETIONE

ecce id ipsum est quod dixi : & reponebam isti cogitationi : sed nunc bonum est, nunc à Spiritu sancto est. Nam quod tuum est, id malum est, à demonibus est, à statu passionibus obnoxio est. S. Teresia, ut Luisius Legionensis in præfatione operum ejus testatur, timida & maxime circumspecta in suis revelationibus esse solebat, vitamque suam non ex his solis, sed ex directione superiorum, ne deciperetur, instituebat. Et merito, ut mellifluus doctor<sup>b</sup> ad Ogerium scribit, quia qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.

7. Cum aliqua suggestio mentem perturbat, labor inutilis est in eâ discutendâ tunc immorari, multis enim & inextricabilibus difficultatibus involutus animus, vix se poterit ab earum molestia expedire. Pravis item affectibus carere debet; Deumque solum, non suum commodum, suamve inclinationem respicere, qui cupit cogitationes & instinctus absque errore discernere. Neque enim potest rectum iudicium ferre, qui suis sensibus & cupiditatibus adhæret. Audiendus hæc de re optimus præceptor Gregorius<sup>c</sup> Ma-

<sup>b</sup> Bern. ep. 87. c. Lib. 18. mor. c. 25.

SPIRITUUM CAP. V. 61

gnus. Hac sapientiâ, inquit, non turbulema atque confusa, sed tranquilla corda replentur. Bene ergo de ea dicitur, quia abyssus dicit, Non est in me : & mare loquitur, Non est mecum. Ac si aperte diceretur, perturbata mentes eo ipso clamant, quoniam à verâ sapientiâ longe divise sunt, quo quiete non sunt. Supercecidit ignis, ait Propheta<sup>d</sup>, passionum scilicet animum incendientium, & non viderunt solem; mens etenim cupiditatibus cæcata præsentem lucem veritatis non intuetur.

8. Simplicitas recte discernere cupienti necessaria item est, & ut abhorreat à multis & superfluis considerationibus, objectionibus, ratiocinationibus : solaque regula æternæ veritatis sit mensura iudicii sui, non proprium institutum, non principia naturalia, non aliorum exempla : alioquin semper confusus & perplexus erit, & novæ semper emergent difficultates. Nihil pejus, inquit Chrysostomus<sup>e</sup>, quàm humanis rationibus spiritalia subicere, Et alius quidam dixit<sup>f</sup>, non regnat spiritus Christi, ubi dominatur spiritus Aristotelis.

<sup>d</sup> Psal. 57. c. Hom. 14. in Isau. f. Ablon. Abb. ser. 42. de Advn.


9. Non solum respicere sedulo oportet an actiones, ad quas homo impellitur, sint in se bonæ & conformes præceptis Dei & Ecclesiæ; sed etiam an sint conformes gratiæ & lumini, aliisque divinis perceptionibus, quibus ille à Spiritu sancto agitur & pertrahitur. An ordinem divinæ circa se providentiæ, viamque sibi præfixam constanter, ac fideliter sequatur, sine ullo respectu ad seipsum. An gratiæ à Deo acceptæ, atque ejusdem efficaciam actiones ejus consentiant, sitque stabilis & immobilis in sua vocatione. Diversæ enim sunt viæ, per quas Deus non tam ducit, quam trahit animas ad se: si quis verò à semita sua aberrat, in infinitos errores incidit. Perversi spiritus indicium est, cum mens infirma & invalida ad ardua & excelsa Deo non trahente conscendere nititur, cum vix in imo consistat. Ideo Apostolus ad Corinthios scribit <sup>e</sup>, unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, & ad Ephesios <sup>h</sup>, obsecro vos ut dignè ambuletis vocatione qua vocati estis cum omni humilitate, & mansuetudine, & patientia. Quod si quis ad statum sublimiorem vocari se sentiat, non desit

g 1. Cor. 7. h 20. Eph. 4. 1.

gratiæ Dei; sed caveat illusiones.

10. Quia latentes cogitationes, cordisque secreta scrutari non possumus, certius ac præcipuum internæ motionis principium ab operibus desumendum est dicente Domino <sup>i</sup>, à fructibus eorum cognoscetis eos, cujus dicti rationem reddens ait, non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere. Igitur ex fructibus arbor, ex operibus homo cognoscitur. Indicium mentis, inquit Chrysostomus <sup>k</sup>, operatio est hominis, quoniam factis ostenditur, quicquid cordis secreto concipitur. Hoc signum Judæis calumniantibus pro seipso proposuit Redemptor noster dicens <sup>l</sup> ipsa opera, qua ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Rursum Chrysostomus <sup>m</sup>: A facie nemo videt quis habeat spiritum immundum, vel quis habeat spiritum sanctum. Nam si visibilis esset, non decepisset. Venit Montanus dicens, Spiritum sanctum habeo. Venit Manichæus dicens, Spiritum sanctum habeo, non fuit autem manifestum. Ne igitur plures seducerentur, dicit: quando venerit Paraclitus spiritus ve-

<sup>i</sup> Matth. 7. <sup>k</sup> Hom. 11. in variis Matthæi loca. <sup>l</sup> Ioan. 5. 36. <sup>m</sup> Hom. de Spiritu sancto.



64 DE DISCRETIONE

ritatis, qui à Patre procedit, ille inducet vos in omnem veritatem, Si quem igitur videritis dicentem, Spiritum sanctum habeo, & non loquentem Evangelica, sed propria, is à se ipso loquitur, & non est Spiritus sanctus in ipso. Eleganter, ut solet, Augustinus " : Quid enim attendo quid sonet, cum video quid cogitet? & in, inquis, vides quid cogitet? Facta indicant. Nam oculus in conscientiam non penetrat. Attendo quid agat, & ibi intelligo quid cogitet. Non enim fructus ostenditur nisi in factis. Vnde dictum est, ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Libet autem in fine hujus Capituli ad traditas regulas hoc documentum attexere, quod quamvis singulæ pro discernendis spiritibus peculiarem institutionem contineant, singulæ tamen per se non sufficiunt, nisi aliæ simul adhibeantur. Notavit hoc Gerson dicens, Fallit unum signum vel pauca, si non in unum plura conglobaverimus, Ita enim tradit Tullius, ita Boëthius, ita Aristoteles in conjecturali causa faciendum. Omnium quoque circumstantiarum connexio attendenda, ex qua rerum exacta cognitio plurimum pendet.

a In Psal. 149.

CAPUT

SPIRITUM CAP. VI. 65

CAPUT VI.

Spiritus sive instinctus Divinus quid sit. Quot & quibus modis animam exciet & moveat. Traduntur regula, & indicia, quibus à diabolico discerni possit.

I. **S**Ex esse spiritus, atque hos ad tres sanctari, divinum scilicet, diabolicum, & humanum, & nos supra conclusimus, & Cassianus <sup>a</sup> affirmat dicens: Illud sanè præ omnibus nosse debemus tria cogitationum nostrarum esse principia, id est ex Deo, ex diabolo, & ex nobis. Postquam igitur de Discretionem spirituum quædam generaliter prænotavimus, de singulis spiritibus singillatim, & primum de Divino, tractandum est.

Spiritus Divinus est motio interior animæ sive inspiratio, quæ à Deo procedit, & ad virtutem ac sanctitatem impellit. Est locutio interna Dei, de qua sic disserit S. Bernardus <sup>b</sup>. Felix & beata anima que venas suspirii divini percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuelis, Loquere Domine, quia audit sermons tuus. Ergo tacentibus nobis Deum in. us au-

a Cass. col. 1. c. 19. b Serm. de sex spiritib.

F

66 DE DISCRETIONE

diamus loquentem, & suadentem de regno suo, tanto utilius, quanto subtilius per internam inspirationem. Dicitur etiam adventus sponsi & visitatio Verbi, eodem mellifluo doctore hoc decente ex propria experientia. Da mihi animam quam frequenter Verbum sponsus invisere soleat, cui familiaritas ausum, cui gustus famem, cui contempus omnium otium dederit: & ego huic incunctanter assigno vocem pariter & nomen sponsæ. Et post pauca, Fateor & mihi adventasse Verbum, in insipientia dico, & pluries. Cumque sepius intraverit ad me, non sensi aliquoties cum intravit. Adesse sensi, affuisse recordor, interdum & presentire potui introitum ejus, sentire nunquam, sed ne exitum quidem. Nam unde in animam meam venerit, quovè abierit denuo eam dimittens, sed & quà vel introierit vel exierit, etiam nunc ignorare me fateor, secundum illud, Nescis unde veniat, aut quo vadat. Nec mirum tamen, quia ipse est, cui dictum est; & vestigia tua non cognoscentur. Sane per oculos non intravit, quia non est coloratum: sed neque per aures, quia non sonuit: neque per nares, quia non aëri


6 Serm. 74. in Cant.

SPIRITUM CAP. VI. 67

miscetur, sed menti; nec infecit aërem, sed fecit: neque verò per fauces, quia non est mansum vel haustum: nec tactu comperi illud, quia palpabile non est. Quà igitur introiit? An fortè nec introiit quidem, quia non de foris venit? Neque enim est unum aliquid ex iis, quæ foris sunt. Porro nec de intra me venit quoniam bonum est, & scio quoniam non est in me bonum. Ascendi etiam superius meum, & ecce supra hoc Verbum eminens. Ad inferius quoque meum curiosus explorator descendi, & nihilominus infra inventum est. Si foras aspexi, extra omne exterius meum comperi illud esse; si verò intus, & ipsum interius erat. Et cognovi verum quidem esse quod legeram, quia in ipso vivimus, movemur & sumus: sed ille beatus est, in quo est ipsum, qui illi vivit, qui eo movetur. Hæc Bernardus, à quo si quæras, unde ergo verbum adesse cognoverit, si omnino investigabiles sunt viæ ejus: respondebit tibi signa præsentia ejus ex his, quæ operatur in anima, clarissime manifestari. Sed de his mox sermo erit.

II. Motio autem sive inspiratio divina multipliciter fit, quia multifariè multif.

F ij



68 DE DISCRETIONE

que modis loquitur Deus servis suis. Aliquando per seipsum immediate, cum sine alicujus ministerio ipse cor nostrum movet excitans in eo bonas cogitationes, & sancta desideria, ad quæ concipienda idonei non sumus sine ejus illuminatione, & inspiratione, qui omnem nobis sufficientiam boni gratuito munere subministrat. Aliquando per Angelum suum à malo nos revocat, excessus nostros increpat, provocat ad emendationem, bona suggerit, quæ ipso adjuvante faciamus, gressusque nostros dirigit in viam pacis, salutis, & perfectionis. Aliquando nos excitat mediante conscientia nostrâ stimulante nos & incitante, ut secundum rationem, & virtutem vivamus: aliquando per fidem, & charitatem; fide enim purificat corda nostra, & charitas Christi urget nos: aliquando per scripturas, per exempla, per exhortationes, per varias afflictiones, cum nimirum his pulsantibus ad ostium sensuum, ipse intus percellit mentem, & interna inspiratione loquitur ad cor, atque animam dormitantem è somno suscitatur, suam illi voluntatem insinuans, quæ est salus & sanctificatio nostra. Quæ omnia sagaci indagatione

SPIRITUUM CAP. VI. 69

discutiens Cassianus <sup>d</sup>, ex Deo, inquit, sunt cogitationes nostræ, cum spiritus sancti illustratione nos visitare dignatur, erigens nos ad sublimiorem profectum: & in quibus, vel minus acquisivimus, vel desidiosè agentes superati sumus, saluberrima compunctione castigat: vel cum reserat nobis cœlestia sacramenta, & propositum nostrum ad meliores actus, voluntatemque convertit; ut ibi cum Rex Assuerus castigatus à Domino libros annales instigatur inquirere, quibus Mardochei beneficia recordatus, summi eum gradu honoris exaltat, ac protinus crudelissimam super nece gentis Iudæe sententiam revocat. Vel cum Propheta commemorat, Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Alius quoque, & dixit, inquit, Angelus qui loquebatur in me. Vel cum filius Dei venturum se unà cum Patre, & mansionem apud nos facturum esse promittit. Et, Non estis vos, inquit, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. An verò Deus per se solum loquatur, an Angelos tanquam ministros adhibeat, cognitu difficillimum est. Verùm hoc aut parvi, aut nullius momenti est, nihil enim

d Cass. coll. 1. cap. 19.



70 DE DISCRETIONE

refert loquentis nosse personam, quando constat bonum esse quod loquitur. Nec facile est, ait Bernardus e, quis loquatur discernere, nec ignorare periculosum: praesertim cum certum sit Angelum bonum nunquam loqui ex semetipso, sed Deum esse, qui loquitur in ipso. Satagendum potius, idque humili oratione à Deo petendum, ut bonum instinctum agnoscamus, & ei fideliter obediamus.

III. Pessima foret ignorantia, & quae summo nos periculo exponeret, si tenebris peccatorum nostrorum obcaecati, Angelum bonum à malo, instinctum Dei à diaboli suggestionem distinguere, & discernere nesciremus. Ideo timebat Apostolus f, ne sicut serpens Evam seduxit astutiâ sua; ita & corda nostra decipiantur, ab eo utique, cujus ipse Paulus g cogitationes non ignorat. Id verò ne contingat, docet magnus Antonius apud Athanasium omni motioni, impulsui, apparitioni audacter illis verbis occurrendum esse, quibus Josue Angelum sibi in specie hominis apparentem interrogavit, *Noster es, an adversariorum?* Solet enim sapius, ait Petrus

e Ser. 23. de diversis. f 2. Cor. 11. 3. g 2. Cor. 2. 11.

SPIRITUUM CAP. VI. 71

Damianus h, *intervenire tentatio, dum nonnunquam spiritus iniquitatis transfiguratur se in angelum lucis. Et ideo subtiliter est agendum, ut discernantur genera visionum. Sicut & Iesu Nave, cum Angelum cerneret, & tentationes aliquando hujusmodi visionibus inesse nullatenus dubitaret, protinus ab eo qui apparebat, requisivit dicens; Noster es, an adversariorum? Hoc documentum eodem exemplo Josue suggerit Gregorius Magnus i ejusque rationem reddit dicens: Quia saepe adversarius specie sanctitatis induitur, & nisi per divinam gratiam simulationis ejus detegere indumenta non possunt, bene dicitur; Quis revelabit faciem indumenti ejus k? Subaudis, nisi ego, qui servorum meorum mentibus gratiam subtilissima discretionis inspiro, ut revelata malitiâ faciem ejus nudam videant, quam coopertam ille sub habitu sanctitatis occultat. Et quia aliquando fidelium mentes corrumpere ostensione sua, aliquando suggestionem conatur; agit enim modo opere, modo persuasionem, recte subjungitur; & in medium otis ejus quis intrabit? subaudis, nisi ego, qui per discretus electorum mentes suggestionum ejus ver-*

h Opus. 32. cap. 74. i Lib. 33. Mor. cap. 22. k Job. 41. 4.



ba discutio, & non ita hac esse ut sonuerunt, manifesto. Bonum namque videntur promittere, sed ad perditum finem trahunt. Bonum ergo spiritum à malo distinguere docet divina gratia, qua illustrati sancti Patres & viri religiosi quaedam signa tradiderunt, quibus possint internosci.

1. Occurrit autem primum indicium ex Bernardo <sup>1</sup>. Quoniam spiritualis omnium spirituum natura est, à sermonibus eorum cognoscemus eos, & quis spiritus sit qui loquatur, ipsa suggestio declarabit. Si enim ad id quod bonum, quod sanctum, quod perfectum est, incitamus; ille spiritus est, de quo psallit Propheta <sup>m</sup>, spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.

Si verò movemur ad seculi vanitatem, ad illecebras carnis, ad inutilia desideria, certum est spiritum malum esse qui loquitur, quem repellere debemus cum indignatione dicentes ei, vade retrò sathana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, & sapientia tua inimica est Deo. Idem mellifluus Pater, quibus signis adesse sibi Verbum cognoverit, & quid ejus instinctus in ipso operaretur, sic alibi <sup>n</sup> sapienter edisserit, Vivum & efficax est, moxque

<sup>1</sup> Ser. 23. de diversis    <sup>m</sup> Psalm. 142.    <sup>n</sup> Ser. 74. in cant.

ut

ut intus venit, expergefecit dormitantem animam meam, movit & molliovit, & vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumque erat, & male sanum. Cœpit quoque evellere & destruere, & edificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa referare, frigida inflammare, nec non & mittere prava in directa, & aspera in vias planas, ita ut benediceret anima mea Domino, & omnia que intra me sunt nomini sancto eius. Ex motu cordis intellexi presentiam ejus. & ex fuga vitiorum, carnaliumque compressione affectuum adverti potentiam virtutis ejus: & ex discussione sive redargutione occultorum meorum admiratus sum profunditatem sapientie ejus: & ex quantulacunque emendatione morum meorum expertus sum bonitatem mansuetudinis ejus: & ex renovatione ac reformatione spiritus mentis mee, id est interioris hominis mei, percepi utcumque speciem decoris ejus: & ex contuitu horum omnium simul expavi multitudinem magnitudinis ejus.

2. Deus, paulatim ab imo ad summum, ab imperfecto ad perfectum perducit: soletque ætatis, & personarum habere rationem; atque aliam seni, aliam adolescenti; aliam incipientibus, aliam

G

perfectis sapientiam infundit. Daemon è diverso nullum ordinem servat, intempestivos fervores immittit, statim suggerit mentis excessus, miracula, prophetias, ut hac fraude illaqueatas, rerumque novarum studio illectas animas in superbia barathrum secum præcipitet. His quoque suadet nimia abstinencia ac immoderatis vigiliis, aliisque cruciatibus corpus penè conficere; & quia modum non habent, onera sibi imponunt, quæ ferre non possunt. Viribus autem fractis, mentisque vigore enervato, in tantam postea relaxationem labuntur, ut meritò de illis propheticum illud usurpari possit. *Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos.*

3. Solet Deus initio conversionis lacte consolationis animam reficere, ut gustans quàm suavis est Dominus, eo crescat in salutem: cum verò jam adulta fuerit, solidiorem porrigit cibum; quam normam sequutus Apostolus Corinthiis lac potum dedit tamquam parvulis in Christo, non escam, quia solidi cibi nondum erant capaces. Diabolus verò difficillima quæque initio proponit, Dei severitatem exag-

gerat, judiciorum ejus abyssum cum horrore ingerit, ut in foveam desperationis inducat. Ille laboranti in comparandis virtutibus paternâ pietate tranquillitatem immittit: hic hostili nequitiâ molestias infert, & anxietates.

4. Spiritu Dei agi creditur, qui cœlestes susurros interna cordis aure excipere sibi videtur: vocem verò quasi de foris venientem & strepitum quemdam audire, indicium est maligni spiritus. Proprium est enim Dei in animum intime illabi, diaboli extrinsecus advenire.

5. Qui à Deo movetur, si quid in seipso mirabile & præter consuetum ordinem accidit, non id pro certo habet, sed timet, se donis Dei indignum æstimat, & ne diaboli insidiis decipiatur, quicquid illud est superiori revelat. Qui verò proclivis est ad complacentiam in hujusmodi rebus, qui sine delectu fidem illis præstare solet, ab eo spiritu agi videtur, qui per superbiam primum hominem seduxit. Sancta virgo Teresia p, cum Deus inciperet mirabilia in ea operari; hostis illusiones formidans, multis lacrymis à Deo petit, ut eam ad perfectionem viâ con-

76 DE DISCRETIONE

sueta perduceret, tum examini diverforum se subiecit, qui tunc doctrinae & sanctitatis laude in Hispania florebant: & cum his libentius tractabat, qui magis timebant. Hac regulam qui sequitur, falli non potest.

6. Signum notabile divini spiritus est misericordia, & pietas erga proximum, eo etiam tempore quo justitia in illum exercenda est; quia teste Gregorio <sup>1</sup>, *Vera justitia compassionem habet, falsa indignationem. Iusti siquidem etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem servant. Praponunt sibi in animo ipsos plerumque, quos corrigunt, meliores existimant eos quoque quos judicant. Quod videlicet agentes, & per disciplinam subditos, & per humilitatem custodiunt semetipsos.* Malus vero spiritus semper ad iram, ad impatientiam, ad amaritudinem animi provocat, semperque ferociam ingenerat. Proprium quoque est spiritus boni ad tegenda & excusanda, quantum fieri potest, aliorum vitia, impellere; at qui illis irascitur, qui ea extollit, qui de illis passim loquitur, a spiritu superbiae incitatur; propriam enim virtutem ostentare con-

<sup>1</sup> Hom. 34 in Evang.

SPIRITUUM CAP. VI. 77

vincitur, dum publicat aliorum defectus.

7. Boni spiritus nota est sanctos cum Deo regnantes, Deique servos adhuc viventes sincero pictatis ac reverentiae affectu prosequi, res eorum & gesta frequenter legere, & venerari; ipsorum vestigiis insistere, & interno quodam sensu erga eorum reliquias commoveri. Ille vero qui ab aquilone stat spiritus protervum facit hominem, & refractarium, sanctorum contemptorem, eorumque res gestas tanquam fabulas irridens.

8. Quae a nobis remota sunt & longius distita, occulta item & arcana cognoscere, tunc signum est divini spiritus, cum de hominis charitate & humilitate certum habetur experimentum. Quod si ea cognitione foveri inanem gloriam & curiositatem videamus, nulli dubium erit a diabolo ea pandi. Internas autem cogitationes & cordis secreta nullo exteriori indicio manifestata intelligere & pandere, opus est divini spiritus, qui solus penetrat corda hominum, & quae in ipsis latent servis suis revelat.

9. Miracula etiam ab impiis fieri posse Scriptura nos docet <sup>1</sup>, cum refert Magos

<sup>1</sup> Exod. 7.

78 DE DISCRETIONE

Ægyptios eadem, qua Moyses operatus est, portenta edidisse, & Dominus in evangelio de peccatoribus damnandis in die iudicii ait: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Faciunt enim miracula, teste Augustino<sup>1</sup>, Magi per privatos contractus cum dæmonibus, boni Christiani per publicam justitiam, mali per signa publicæ justitiæ. Et illa quidem quæ à Magis fiunt, dæmonis invocatione & illusionem fiunt: à malis autem Christianis atque etiam ab infidelibus, & multo magis à justis virtute divina fieri possunt, vel ad demonstrandam fidei veritatem, vel ad honorem Christi propagandum, cuius nomen invocatur, ut docet S. Thomas<sup>2</sup>: & hæc nota sanctitatis non sunt, nisi attentis omnibus circumstantiis evidenter constet Deo operante à viro probatæ virtutis fieri, ut per huiusmodi signa eius sanctitas elucescat. Quæ verò in animis pa-

<sup>1</sup> Matth. 7. 22. t. Lib. 83. quæst. 94. 79. u. 2. q. 178. art. 2.

SPIRITUUM CAP. VI. 79

trantur, verè & absolutè nota sanctitatis censenda sunt: non enim solet Deus ad tantum opus, cuiusmodi est perfecta ad Deum conversio, quempiam assumere, qui sibi gratus non sit. Unde usu compertum est, neminem unquam hypocritæ iussu verè conversum fuisse: & licet aliqua virtutis argumenta protulerit, ea tamen successu temporis emarcuerunt, & ad nihilum redacta sunt.

10. Instinctus ad bonum in quo nihil mali appareat, nec quod majus bonum impediatur, aut agenti ejusque statui non conveniat, bonus est. Sed subtilissimum examen hic necessarium est, quia bonum est ex integra causa, nec facile comprehendere possumus, quæ sit exacta, & perfecta operis rectitudo. Deinde motus ab initio boni in ipso progressu, vel naturæ corruptæ vitio, vel dæmonis impulsu in malum sæpe degenerant. Videndum igitur an principium, medium, & finis eodem tenore procedant: an omnes circumstantiæ in ipsum bonum consentiant.

11. Spiritum bonum semper comitatur Discretio, & si aliquem introducit in cellam vinariam, statim ordinat in eo charitatem. *Omnino necessariè*, ait Ber-

80 DE DISCRETIONE

ardus<sup>x</sup>, quia ubi fervidior & vehementior est spiritus, profusiorque charitas, eo vigilantiori opus scientiâ est, quæ spiritum temperet, ordinet charitatem. Discretio quippe omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem, etiam & perpetuitatem. Est ergo Discretio non tam virtus quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc & virtus virium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque natura. Omnia ligat charitas, & contemperat in unitatem spiritus, si tamen ipsa fuerit discretione ordinata. Nam qui modum non servat in affectibus suis, qui ad excessum impellitur, ab eo utique spiritu incitatur, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Dicebat quædam devota mulier apud Gerfonem, *Nihil mihi magis suspectum quàm amor, etiam erga Deum.* Quo enim amor vehementior est, eo facilius præcipitat, & difficilius regitur: solentque amantes impetu potius quàm rationis iudicio ferri in objectum amatum, nisi fræno discretionis coërceantur. Et quia ex amore sua

<sup>x</sup> Serm. 49. in Cant. y De simplici cordis not. 19.

SPIRITUM CAP. VI. 81  
tas quædam, & dulcedo promanat, sollicitè cavendum est, ne amor qui a spiritu inceptus, in carnem desinat, sicut sapius contigit etiam in personis probatæ sanctitatis, quos in præceps dejecit impetus, & defectus circumspeditionis in moderandis affectibus. Nulla quippe virtus esse potest, ubi vehementia & ardor spiritus dominatur.

12. Impulsus Dei, cum ad opera grandia & mirabilia movet, à spiritu interno incipit, replendo illum præclaris donis, quæ deinde posito solidæ humilitatis fundamento, extra prodeunt ad aliorum ædificationem. Suggestio autem diabolica ad res tantum externas impellit, quæ videantur ab hominibus, interna reformatione neglecta.

13. Bonus spiritus bonos suaviter, malos asperè movet: malus autem spiritus malos fovet, bonos terret. Ideo observanda est hominis & spiritus similitudo, vel dissimilitudo: agunt enim contrario modo cum his qui sibi contrarii sunt. Dæmon peccatoribus illecebras seculi proponit, & sensuum delectationes: inane spem divinæ misericordiæ ingerit, ut differatur pœnitentia, & peccatorum

cumulus augeatur. Justos verò tanquam dissimiles scrupulis divexat, vanoque metu & variis angoribus cruciat, ut cum tædio quæ Dei sunt operentur. At Dei spiritus malos, quia dissimiles, durius pulsat, conscientiæ stimulis pungit, & mortis ac inferni timore concutit, nullamque finit in rebus seculi habere quietem: bonos autem mulcet, adjuvat, exhilarat. Huc respexit Augustinus, cum in suis confessionibus <sup>z</sup> dicebat Deo, *Quid est illud quod interlucet mihi, & percutit cor meum sine læsione, & inhorresco & inardesco? Inhorresco in quantum dissimilis ei sum, inardesco in quantum similis ei sum.*

14. Divini instinctus signum est excitatio animæ ad pœnitentiam, & ad veram contritionem; quando anima repenti succenditur, atque adeo mutatur, ut dici possit, *Hæc mutatio dextra excelsi.* Quando inquam torpor, pusillanimitas, perplexitas subito repelluntur; & alacritas, promptitudo, & jucunditas oriuntur. Hæc enim omnia non nisi à spiritu sancto esse possunt. Appositè Bernardus <sup>a</sup>. *Quæ Spiritus sanctus operatur in nobis testimonium perhibent de eo. Ini-*

<sup>z</sup> Lib. 11. cap. 9. a Serm. 1. Pentec.

SPIRITUUM CAP. VI. 83  
tium revertendi ad Deum pœnitentia est, quam sine dubio spiritus operatur, non noster, sed Dei: idque & certa ratio docet & confirmat auctoritas. Quis enim cum ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem, quem habere non poterat sine illo? Sic ergo qui prius iniquitate erat frigidus, si postmodum fervore quodam pœnitentia accendatur, alium sibi spiritum, qui suum arguit & dijudicat, non dubiter advenisse.

15. Cum ex peccato originali ad sensuum delectationem proni simus, ille bonus censeatur instinctus, qui à voluptatibus retrahit, & ad laborem ac crucem trahit. Vox Apostolica <sup>b</sup> est perfecti Christi amatoris, *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non est,* inquit Bernardus, <sup>c</sup>

16. Nulla certior nota divini spiritus, quàm dilectio, ut rectè docet Augustinus <sup>d</sup> *Cognoscimus,* inquit, *quia habitat in nobis. Et hoc ipsum unde cognoscimus? quia de spiritu suo dedit nobis. Unde scimus quia de spiritu suo dedit nobis? Inter-*

<sup>b</sup> 2. cor. 12. 10. <sup>c</sup> serm. 25. in cant. <sup>d</sup> tract. 8. in epist. 1 Ioan.



84 DE DISCRETIONE

roga viscera tua. Si plena sunt charitate, habes spiritum Dei. Idem alibi. Qui non diligunt, si linguis hominum loquantur & Angelorum, sunt eramentum sonans & cymbalum tinniens. Et si habuerint prophetiam, & scierint omnia sacramenta, & omnem scientiam, & habuerint omnem fidem, ut montes transferant, nihil sunt. Et si distribuerint omnem substantiam suam, & tradiderint corpus suum, ut ardeant, nihil eis prodest. Dilectio sanctos discernit à mundo.

CAPUT VII.

*Dari quandoque instinctus obscuros, & suspectos, de quibus dubium est à quo spiritu sint. Quæ cautio in his adhibenda. Quædam pro illorum examine documenta. Agitur obiter de singulari quorundam vita, & de dono lacrymarum.*

I. **T**Otius doctrinæ de Discretionē spirituum caput est ac veluti fundamentum, quo uno hujus lucubrationis structura nititur, non solum bonos instinctus à malis distinguere, quod supra notatum est; sed dubios quoque & incertos

<sup>c</sup> Trañ. 76. in Ioan. d. 1. Cor. 13.

SPIRITUM CAP. VII. 85

dignoscere, & unamquamque motionem illi, à quo provenit, spiritui assignare. Celebris est Salomonis sententia: *Est via quæ videtur homini iusta, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Multorum enim mentes ita excæcat amor sui, ut falsa persuasionē existiment se per viam salutis tuto incedere, cum celeri cursu iter perditionis arripuerunt. Ea item affinitas inter quosdam affectus virtutis & vitii quandoque intercedit, ut sæpe contingat nos iram pro zelo, pertinaciam pro constantia, & pro Dei amore philautiam amplecti. Fovent hunc errorem carnis nostræ sagacitas, perturbationum commotio, imbecillitas intellectus: quibus fit, ut ponamus tenebras lucem, lucem tenebras; amarum vertamus in dulce, dulce in amarum. Alta est hæc profunditas, quam nemo potest sine Dei gratia penetrare. Necessarium igitur est, ut semper consideremus, qui nos impetus ducat, Qua in re docet Gregorius duplicem nobis curam incumbere: *Prima est, ne ad ea quæ agimus per apertum carnis impetum ducamur, nec pravis cogitationibus animus seductus mala esse cognoscat, & ta-*

<sup>a</sup> Prover. 14. 22. <sup>b</sup> Hom. 5. in Ezech.

men faciat. Secunda, ne se impetus carnis, quasi impetus spiritus latenter subjiciat, & culpas quas agimus, nobis virtutes fingat. Sciendum vero est, quia graviores culpe sunt, que superducta specie virtutes imitantur, quia ille in aperto cognita animum in confusionem dejiciunt, atque ad pœnitentiam trahunt: iste vero non solum in pœnitentiam non humiliant, sed etiam mentem operantis elevat, dum virtutes putantur. Ex hoc Gregorii monito patenter deducitur omnes impulsus solerti inquisitione discutiendos esse, ne malum pro bono amplectamur, aut bonum pro malo repudiamus. Utrumque extremum æque perniciosum est, tam Deo pulsanti ostium cordis claudere, putando demonem esse; quàm hosti aperire, si Dei spiritum esse credamus. Quicumque vero sit ille qui pulsat, non ei facilis tribuatur ingressus, sed prudentiam justorum imitemur, omnes instinctus sollicitè explorantes, obscuros præsertim, de quibus dubium est, à quo procedant. Ad hos autem discernendos, & ad omnem errorem præcavendum, usui erunt hæc documenta.

1. Quicquid naturam sapit, tametsi bonum in se sit, suspectum est. Cum ergo

impellimur ad aliquod bonum, si pars inferior illud appetit, ejus impetum statim coercere debemus, eoque cohibito ipsum bonum puris actibus intellectus & voluntatis aggredi, gratia præcedente & dominante. Nam si aliquo naturæ sensu bonum à Deo inspiratum permiscetur, puræ virtutis claritas eâ complacentiâ tanquam cœno coinquinatur.

2. Securior cæteris est ille instinctus; quo voluntas movetur, nulla præcedente imaginationis vel intellectus operatione. Id autem fit, quando intellectum eo ipso in puncto Deus illuminat, quo voluntatem intus impellit. Movere autem, & immutare ab interiori voluntatem solius Dei est, qui potest eam efficaciter inclinare quocumque voluerit, ut docet S. Thomas: ab exteriori vero & ineffaciter moveri potest ab Angelo vel proponendo objectum, vel concitando passiones. Non dico voluntatem moveri posse sine ulla profus intellectus operatione, sed tantum sine ea quæ modo naturali & consueto fieri solet. An vero possit in sublimiori raptu, aut voluntas sine prævia cognitione actum amoris exercere, aut intellectus

sine ulla conversione ad phantasmata in  
objectum suum ferri, quæstio celebris est,  
quæ ad hunc tractatum non pertinet.

3. Anceps est omnis impulsus, & non  
nisi cum timore, & tremore admittendus,  
quo quis ad regimen animarum incitatur.  
Ut vero periculum evadat, & introitus  
ad dignitates securus sit, acceptandæ illæ  
non sunt, nisi ex speciali Dei revelatio-  
ne, aut ex obedientia cui resisti non possit,  
aut ex consilio viri sancti & prudentis, cui  
bene perspecta sint illius status discrimina.

4. Aliquando contingit, ut gratiæ &  
consolationes spirituales ad corpus, & ad  
sensus redundent, sicut scriptum est *4, cor  
meum & caro meo exultaverunt in Deum  
vivum*. Sicut enim tabescit corpus, cum  
tristatur anima: ita etiam interiori dulce-  
dine per redundantiam sensus afficiuntur,  
hoc Deo concedente iis, præsertim qui im-  
perfectiores sunt, ut ea dulcedine perfusi  
à terrenis delectationibus abstrahantur.  
Sunt tamen subjectæ huiusmodi suavita-  
tes illusionibus, & seductionibus maligno-  
rum spirituum, atque hinc sordes Illumi-  
natorum, hinc Begardorum turpitudines  
prodierunt. Docet seraphicus Doctor *e*

*d Psal. 83, c De processu Relig. sr. 7. cap. 18.*

quod

quod quidam decepti à seductoriis spiriti-  
bus, vel propriis falsis opinionibus putant  
sibi apparere Christum, vel ejus gloriosam  
Genitricem, & non solum amplexibus &  
osculis, sed etiam aliis indecentioribus  
gestibus, & actibus ab eis demulceri, ut  
sicut spiritus ipsorum interioribus ab ipsis con-  
solatur spiritualiter, ita & caro exterioribus  
sibi congruo oblectationis sensu consoletur;  
quod non solum est falsum, sed etiam blas-  
phemia gravis esse comprobatur. Tum sub-  
dit. De his verò, qui cum aliquando dul-  
cedinem spiritualem sentiunt, continuo  
etiam carnalis delectationis pruritu illecti  
fœdantur, nescio quid judicem, nisi quod  
potius eligo illis carere floribus, quos de  
luti sordibus legere deberem. Et sicut illos  
damnare non audeo, qui invitati quandoque  
in huiusmodi spiritualibus affectionibus  
carnalis fluxus liquore maculantur; ita ex-  
cusare eos nescio, qui tali fluxu ex consensu  
delectantur, cum qualiscunque eorum in-  
tentio videatur. Hactenus Bonaventura.

5. Cum quis ad aliquid operandum intus  
movetur non solum examinandæ sunt  
actiones illæ ad quas incitatur, utrum sint  
bonæ, & conformes mandatis Dei, &  
Ecclesiæ; sed etiam utrum convenient

H

90 DE DISCRETIONE

statui ipsius & ordini, in quo positus à Deo est: an aliquam redoleant singularitatem, superstitionem, vel levitatem. Spiritus enim Dei solidus est, ejusque operatio lumini & gratiæ commensuratur, quibus anima prædita est. Qui hunc ordinem temere transgreditur, infinitis se periculis exponit. Actiones item, & verba non in seipsis consideranda sunt, nec referenda ad Sanctorum exempla; sed ad principium sive motivum propter quod sic operatur, & loquitur. Nam S. Martinus morti proximus dixit, *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*: at hæc eadem verba proferre noluerunt sancti viri Philippus Neri, & Franciscus Salesius: ille motus charitate, isti humilitate. S. Franciscus stultum aliquando se finxit, ut sperneretur: aliquando vestem osculandam porrexit, ut honoraretur, non ipse quidem, sed Deus in ipso. S. Hilarion munditiam in cilicio non requirebat, quam S. Bernardus optavit & commendavit. Ut rectum igitur judicium feratur, disquirere oportet, quo spiritu quisque ducatur: quo principio innitatur, quodnam verborum & actionum proximum ac proprium motivum sit.

SPIRITUUM CAP. VII. 91

6. Suspectus est impulsus, quo quis moveretur ad vitam singularem, & ad actiones insolitas & inusitatas. Nihil enim frequentius damnant sancti Patres, in his præsertim, qui vitam religiosam profitentur, quàm singularitatem. Pater Monachorum *f* octavum humilitatis gradum in hoc constituit, *si nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla.* Antiquorum item Monachorum unanimi consensu apud Cassianum & sancitum fuit: Vitam singularem noxiam esse, magisque speciem vanitatis, quàm virtutis ostentare. Ratio autem desumitur primò à suavitate divinæ providentiæ, quæ viam communem instituit pro salute omnium quos salvare decrevit, ducitque omnes ut plurimum per iter planum, rectum, usitatum. Secundò à malitia diaboli, qui ad res novas, curiosas, & inusitatas instigat, quæ admirationem afferant, & sanctitatis opinionem concilient; facitque transgredi terminos quos posuerunt Patres nostri, ut à solidis virtutibus removeat, & inducat in vanitatem. Tertio ex pravitate naturæ nostræ, quæ peculiaribus exercitiis supra

*f* Bened. regula c. 7. §. Lib. 1. instit. c. 2.

92 DE DISCRETIONE

reliquos appetit apparere, & non esse sicut ceteri hominum. Quarto, ex conditione ipsarum rerum singularium, quæ cum raræ sint, minus cognoscuntur, & illusionibus, ac deceptionibus subjectæ sunt. Sed quia ex sacris litteris & experientia constat spiritum Dei movere nonnunquam ad huiusmodi res mirabiles, quæ communem operandi rationem excedunt, non statim talis instinctus damnandus est. Sic præcepit Abrahamæ, ut filium immolaret: Isaiæ, ut nudus per vicos & plateas civitatis ambularet. Eliæ inspiravit, ut ignem è cælo peteret, quo quinquaginta viri consumpti sunt. Quosdam martyres impulit, ut pro fide tuenda se in ardentem rogam conjicerent. Daniele & Symeonem stilitas ad vitam in columna degendam, & alios multos ad singularia quædam patranda incitavit, quæ admirari oportet, non imitari. Talem vero impulsum ad opera mirabilia & non consueta tunc esse à Deo cognoscemus; si vocatus ad illa excellenti sanctitate emineat; semper enim tendit huiusmodi motio ad raram sanctitatem efficiendam, & ad virtutes internas in gradu heroico. Si omnia adversa patientissimè toleret, quia in pa-

SPIRITUUM CAP. VII. 93

tientia, & tolerantia verus Christianitatis spiritus consistit, & præcipuus ejus actus est veterem hominem crucifigere, & ad nihilum redigere. Motus item examinandus est, quo quis impellitur ad opera grandia & excelsa: est enim aliquando ita vehemens & efficax, ut cor & mentem fortiter trahat, & rapiat, cujus rei luculentum extat exemplum in Apostoli Pauli conversione. Deinde cum impulsus à Deo est, pacem & tranquillitatem cordis conservat, quia factus est in pace locus ejus. Nemini autem ad hæc opera eximia, & inusitata aspirare licet, nisi sentiat in se testimonium Spiritus sancti vocantis & trahentis, atque intus docentis quod à Deo certissimè incitetur. Ut tandem de anima sic mota rectum feratur iudicium, cognoscere oportet ubi habitet lux gratiæ, ut ait Job <sup>b</sup>, & per quam viam spargitur; quod sine spiritu Dei fieri nequit, quem nemo habet, nisi Deum possideat, & à Deo possideatur. Quia vero hoc donum in paucis reperitur, cavendum est ne quis temerè sententiam proferat de via peculiari, per quam Spiritus sanctus aliquem singulariter dilectum trahit ad se.

<sup>b</sup> Job 38.

94 DE DISCRETIONE

Adoranda potius iudicia Dei, quorum abyssus immensa est: summisque precibus ab eo petendum; ut det spiritum bonum, nam spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei. Rectè Gregorius: *Lux in hac vita spargitur, quia ad omnis rei intelligentiam continua non habetur. Dum enim aliud sicut est comprehendimus, & aliud ignoramus, quasi sparsa luce & ex parte cernimus, & in obscuritate ex parte remanemus. Tunc verò lux nobis sparsa jam non erit, quando mens nostra ad Deum funditus rapta fulgescet.*

7. Qui spiritu Dei aguntur, quoddam habent experimentum divinæ erga se providentiæ, sibi que à Deo tantum imponi pondus intelligunt, quantum est virium ad perferendum. At qui spem collocant in suis viribus, quod procul dubio vel à proprio, vel à maligno spiritu procedit, majorem viribus conflictum experiuntur. Fidelis siquidem Deus est, qui non patitur nos tentari supra id quod possumus, sed facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. Explicat hoc aptissima similitudine S. Ephrem. *Si homi-*

i Lib. 29. mor. cap. 12. k 1. Cor. 10. 13. l Tract. de patientia 10.

SPIRITUUM CAP. VII. 95

*nes exiguo intellectu ac mente præditi probare, & discernere norunt, quantum pondus, atque onus singula ferre queant animalia, veluti mulus, aut camelus, tantumque addunt oneris, quantum vires animalis tolerant: quanto magis Deus, qui incomprehensibilis est & ineffabilis scientia & intellectu, totusque sapientiâ plenus, novit quantis probationibus & tentationibus indigeant animæ ipsi placere volentes? Qui vero nimis in se confidunt, cedere, & vinci permittuntur ut discant non alium sapere, sed timere.*

8. Divinæ operationes in anima, & interna jucunditas ex illis procedens diuturnæ non sunt, quia mens luminis claritate reverberata ad semetipsam revocatur, & ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabitur. Idecirco suspectus est illorum spiritus, qui actualem Dei unionem semper se habere gloriantur. Legimus in Apocalypsi factum esse silentium in cælo quasi media hora, per quod Haymo & Anspertus significari aiunt breviter quietis in rerum cælestium contemplatione, quam Deus sanctis in hac vita concedit. Sic docet Gregorius in illa verba

m Apoc. 8. 1.



96 DE DISCRETIONE

Job<sup>us</sup>, & cum spiritus me presente transiret, inhorruerunt pili carnis mee. Non stat, inquit, sed transit, spiritus, quia supernam lucem nostra nobis contemplatio & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abscondit. In hac siquidem vita quantumlibet virtute quis profecerit, adhuc tamen corruptionis sue stimulum sentit. Legimus quidem fuisse nonnullos eximia sanctitatis viros, qui per plures horas aut etiam dies ex speciali Dei gratia intimam cum ipso unionem habuere; sed hoc rarissimum est & paucissimis concessum. Alii quoque reperiuntur, qui quoties intrò se vertunt facillimè cum Deo uniuntur: at hoc differt à continua unione; sicut diversum est posse Principem alloqui quoties libuerit, & re ipsa semper cum eo loqui. It & redit Verbum divinum pro suo beneplacito, quasi visitans diluculo & subito probans, ut dicat anima ipsius fervens desiderio, *Revertere, revertere dilecte mi.* Has vicissitudines euntis & redeuntis Verbi diffusè explicat, eas in se expertus, amicus sponsi mellifluus Doctor: *Et nunc, inquit, da mihi ani-*

n Job. 4. 15. o Lib. 5. mor. c. 23. p Cant. 2. 9 Ser. 7. 4. in cant.

man,

SPIRITUM CAP. VII. 97

man, quam frequenter Verbum sponsus invisere soleat, cui familiaritas ausum, cui gustus famem, cui contemptus omnium otium dederit: & ego huic incunctanter assigno vocem pariter & nomen sponsæ, nec ab ea penitus locum qui in manibus est, scilicet revertere, censuerim alienum. Quem enim revocat, ejus absque dubio probat se meruisse presentiam, etsi non copiam. Alioquin non revocasset illum, sed vocasset. Porro revocationis verbum revertere est, & fortè ideò subtraxit se, quo avidius revocaretur, teneretur fortius. Nam & aliquando simulabat se longius ire: non quia hoc volebat, sed volebat audire, Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit. Ergo istiusmodi piam simulationem, imo salutarem dispensationem non cessat identidem Verbum cum devota sibi anima sedulo attitare. Præteriens teneri vult, abiens revocari. Neque enim hoc irrevocabile verbum. Ipsi siquidem hæ voces sunt, *Vado & venio ad vos: & alio loco, Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me.*

Accidit aliquando ut sanctis & divinis

f Ioan 14. 18. f Ibid 16. 17.

I

inspirationibus vel vitio naturæ, vel fraude dæmonis errores & vitia immisceantur, sicut ratio sub veris principiis efformat nonnunquam falsas assumptiones. Hujus rei exemplum habemus in sacris litteris: Fidem enim & devotionem Jephthæ ex impulsu Spiritus sancti fuisse asserit Augustinus, non autem votum de filiæ immolatione. Veram quoque fuisse Eliphaz Themanitis revelationem Gregorius Papa & alii restantur, sed ea abusus est adversus Job \* arguens eum iniquitatis. Multorum quoque deplorandos casus narrat Cassianus, qui post longam & laboriosam eremi exercitationem ob fervorem indiscretum miserrimè lapsi sunt. Ex quibus sapientissimè infert cunctas animi cogitationes seniorum examini, atque judicio subjiendas esse, illorumque definitionibus acquiescendum.

10. Non videtur illorum spiritus à Deo esse, qui se jugiter in deliciis spiritualibus versari autumant; ista enim non interrupta gaudiorum fruitio patriæ est non exilii. Quapropter in eorum mores & vitam diligentius inquirendum est, an diu fue-

t. *Judi.* .11. u. *Quest.* 49. in *Judic.* x. *Iob* 4. 12. y. *Collat.* 2.

rint variis tribulationibus quasi aurum in fornace probati: num illæ deliciae eò referantur, ut magis earum ope in virtute proficiant: num altiùs exinde in humilitatis studio firmentur. Quod si ex illis nullus aut exiguus percipitur fructus, proculdubio suspicione non carent. Ille item suspectus est, qui sibi revelari ait alterius statum, nisi sit probatæ virtutis, atque ipsa notitia sterilis non sit, sed ad proximi salutem, Deique gloriam tendat.

11. Qui se per visum roseo sermo redimitos à Christo, vel ab Angelo, sive à beata Virgine; aut annulo vel torque insignitos credunt & prædicant, rejici debent tanquam propriæ imaginationis figmento, aut diaboli fraude decepti, nisi perfectissimæ vitæ sint, & eximia præditi sanctitate, atque ab omni terrena labe purgati. Idem de stigmatibus asserendum, quæ arte dæmonis fingi posse aliquot exemplis manifestum est. Facilitas quoque ad ecstasim suspecta est, si præsertim contingat in locis publicis, & qui rapiuntur naturæ sint vehementioris. Quid verò de illis censendum sit, qui quem-

dam Dei illapsus in animæ essentiam prædicant, in qua Deum operari aiunt cessante prorsus omni operatione intellectus & voluntatis; & quid sit huiusmodi illapsus, deque aliis ejusdem generis inutilitatis locutionibus & operationibus, alibi forsitan sermo erit Deo vitam & vires largiente

12. Cum varia sint genera lacrymarum, varique fontes unde promuntur, sicut Cassianus <sup>2</sup> & Climacus, aliique Patres asseverant, non exigua pars prudentiæ spiritualis est scire & discernere quodnam sit earum principium, quis finis, & à quo spiritu excitentur. Primò enim ex tenera & molli natura profluere possunt, quæ cum facile moveatur ad commiserationem, statim in lacrymas solvitur, quoties sibi aliquid triste aut miserabile occurrit. Nasci possunt secundò astu dæmonis, qui commovet humores, & cor eorum emollit, qui teneræ complexionis sunt, tamen peccatores sint, ut speciem sanctitatis alios decipiant, & ipsimet decipiantur: licet eorum fletum non scelerum detestatio, sed damna temporalia, & ignominia, quæ ex iis oriuntur, extorqueant.

Coll. 9. c. 28. form. 7.

Talis fuit planctus & ejulatus Esau, de quo ait Apostolus <sup>a</sup>, quod non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam: non enim flebat peccata sua qui necem fratri moliebatur; sed quia jus primogenitorum ignominiosâ venditione prodegerat, nec potuit recuperare. Tertiò movet ad lacrymas spiritus sanctus, qui postulare nos facit gemitibus inenarrabilibus, & hoc est donum lacrymarum à sanctis Patribus tantopere commendatum, quod à Deo petendum est, ut virga virtutis suæ percutiat siliem cordis nostri, & educat ex eo aquas, quibus mergantur delicta nostra. Huius fletus salutaris Gregorius Magnus <sup>b</sup>, duo tantum genera statuit, unum ex timore, alterum ex amore procedens. At Bernardus <sup>c</sup> tria genera recenset, devotionis, pœnitentiæ, & fraternæ compassionis. Lacrymarum quæ à natura procedunt nulla ratio habenda est, nam ut plurimum steriles sunt & cito arescunt. Quæ verò à Dæmone excitantur eo tendunt, ut ad hypocrisim & superbiam, ac tandem ad extremam perniciem inducant.

<sup>a</sup> Hebr. 12. 17. <sup>b</sup> Lib. 3. dialog. cap. 34. <sup>c</sup> Serm. 3. de Epiph.



Peccatoribus autem flendi facilitate illudunt, ut inde noxio errore inferant non defuturam sibi in postremâ vitæ clausulâ contritionem. Vidi aliquando hominem in malo obduratum, è cuius oculis copiosissimæ lacrymæ effluebant, cum de imminente sibi æternæ damnationis periculo differentem audiret, ob apprehensionem videlicet sui pessimi status, in quo tamen nullum erat propositum abstinendi à malis, quæ deslebat. Cavendum igitur est, ne plus momenti in ipsis lacrymis ponatur, quàm in earum motivo, quod præcipuè attendi debet. Et si quidem Deus hoc irriguum alicui dederit segregans pluviam voluntariam hereditati suæ, utatur sane Dei dono cum gratiarum actione, sed meminerit omne sacrificium fale discretionis condiendum esse, vitetque duo extrema, alterum complacentiæ & arrogantiæ, ne sibi in lacrymis nimis complaceat aut extollatur, neve illis sanctitatem suam & profectum spiritualem metiatur: alterum pusillanimitatis & diffidentia, ne forte putet actum esse de salute & perfectione sua, si illæ desint. Ubertas lacrymarum neminem sanctum facit, nec inopia peccatorem.

CAPUT VIII.

*Diversas esse motiones divini spiritus. Ad eas dignoscendas multa regulæ assignantur. De multiplici loquela Dei, ejusque discretionem. Quibus signis vera locutio à falsa internoscatur.*

I. **O** Altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus in electis suis! Hos enim variis & miris modis vocat & movet, & quæ ad salutem illorum pertinent diversimode operatur. Ascendens Christus in altum dona dedisse hominibus dicitur, dona inquam & non donum: quia ut explicat Augustinus *per donum quod est Spiritus sanctus omnibus membris Christi multa dona, que sunt quibusque propria dividuntur. Non enim singuli quique habent omnia, sed hi illa, & alii alia: quamvis ipsum donum, à quo cuique propria dividuntur, omnes habeant, id est Spiritum sanctum.* Ideo ipse Spiritus unus dicitur & multiplex, quia cum unus sit, multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui

<sup>a</sup> Lib. 15. de Trinit. cap. 19.

se abscondat à calore ejus. Diversa quidem sunt munera, sed charitas una: varia semitæ, sed finis unus. Præclare Bernardinus Senensis <sup>b</sup> hac de re loquitur in tractatu de divinis inspirationibus. Multifariè multisque modis consuevit Deus devotas mentes dirigere, erudire, & inspirare; quandoque revelationibus manifestis, quandoque infundendo imperceptibiliter ipsis animæ viribus fidem, spem, & charitatem: quandoque acuendo intrinsicus intellectum, memoriam, & voluntatem respectu aliquorum objectorum, quæ utilia sunt ad salutem. Quandoque insuper flectit hominis intellectum ad aliquem servum Dei, qui potest illum dirigere & juvare. Quandoque etiam hominem devotum & zelo accensum dirigit ad aliquem textum scripture sacre, vel ipsi occurrere facit aliquam historiam, in cujus consideratione anima ejus dirigitur, & in eo quod desiderat consolatur. Eamdem modorum varietatem quibus Spiritus sanctus ad nos venire solet, sic explicat Gregorius in Moralibus <sup>c</sup> Quasi venas susurrii sui aperit Deus, cum nobis latenter insinuat, quibus modis ad nostre intelligentiæ aures

<sup>b</sup> Serm. 1. artic. 1. cap. 1. 20. 3. <sup>c</sup> Lib. 5. c. 20.

venit. Aliquando enim nos amore, aliquando terrore compungit. Aliquando presentia, quam nulla sint, ostendit, & ad eterna diligenda desiderium erigit: aliquando prius eterna indicat, ut post temporalia vilescant. Aliquando nostra nobis mala aperit, & ad hoc nos usque ut alienis etiam malis condoleamus, extendit: aliquando mala aliena nostris obtutibus objicit, & compunctos mirabiliter à nostra pravitate nos corrigit.

II. Quamvis autem Spiritus Dei semper doceat veritatem, semper alliciat ad virtutem; nonnunquam tamen docet & non allicit, nonnunquam allicit & non docet; quæ diversitas duplici ex causa procedit. Primò quidem ex culpa & ignorantia nostra, quia nimirum Dei gratiâ intellectum nostrum illuminante bonum cognoscimus, sed peccatis exigentibus in nostra infirmitate derelicti bonum cognitum non operamur: vel certè quia ad opus bonum excitati à necessaria cognitione mentis hebetudine impedimur. Testatur hoc Bernardus <sup>d</sup> his verbis. Multi monentur ut benefaciant, sed minimè sciunt quid agendum sit, nisi adsit denuo gratia

<sup>d</sup> Ser. 1. Pentec.

106 DE DISCRETIONE

*Spiritus sancti, & quam inspirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne vacua in nobis sit gratia Dei. Propterea non solum moneri & doceri, verum etiam moveri & affici ad bonum necesse est, ab eo utique spiritu, qui adjuvat infirmitatem nostram. Idem asserit Gregorius magnus dicens: Vocat nos Dominus, sed non erigit, quando per eius gratiam illuminamur, sed exigentibus nostris meritis adjuvari non possumus. Plerumque enim videmus quæ agenda sunt, sed opere non implemus. Nitimur & infirmamur. Mentis iudicium rectitudinem conspicit, sed ad hanc operis fortitudo succumbit. Altera causa sumitur ex infallibili divinæ providentiæ dispensatione, quæ suaviter cuncta disponens ab infimis ad altiora nos erigit, & ex uno ad aliud promovet, prout exigunt vires & conditio nostra. Quorundam mentes lumine scientiæ irradiat, & prævia cognitione voluntatem accendit: quorundam voluntates piis affectionibus excitat, & deinde intellectum illustrat. Nonnullos intus docet quidquid singillatim agendum est: alios acribus stimulis ad perfectionem incitat, quibus tamen nulla via spe-*

*e Hom. 31. in Evang.*

SPIRITUUM CAP. VIII. 107  
 cialis ostenditur. Alii divino instinctu ad opera excelsa & desideranda & adimplenda moventur: alii magnarum virtutum ardentia concipiunt desideria, quæ nunquam tamen adimplenda sunt. Sic David impulit, ut desideraret templum ædificare, non ut reipsa ædificaret, sed ut structuræ prepararet expensas. Sic degentibus in pace Ecclesiæ martyrii desiderium, imbecilibus asperitates, conjugatis statum religiosum, occupatis ex officio amorem solitudinis interdum inspirat, non ut revera hæc opere compleant; sed ut his desideriis succensi mundum cum pompis suis execerentur, & in Dei amore ac perfectione proficiant. Omnia itaque desideria Deo inspirante concepta plurimi quidem facienda, sed non statim adimplenda sunt, quia non semper ad hunc finem immittuntur. Ideo præmissa rei inspiratæ matura consideratione ferventer orandum cum Apostolo, *Domine quid me vis facere?* Tum prudens conscientiæ director consulendus, ejusque monitis acquiescendum est. Quomodo autem divinus instinctus dignosci & certò distingui queat, sancti viri desuper infuso lumine ac proprio experimento instructi



nos docuerunt, à quibus traditas regulas hic fideliter describam ita brevitati studens, ut necessaria cognitioni nihil subducam.

1. Spiritus Dei ad Christi sequelam excitat, & ad virtutum ejus imitationem. Cum enim Christus non solum redemptor noster, sed & doctor ac dux sit, vita ejus & virtutes propositae nobis sunt, veluti exemplar & idae totius perfectionis & sanctitatis. *Discite à me, ait ille<sup>f</sup>, quia mitis sum & humilis corde.* Et iterum *s. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Ipse est *h via, veritas, & vita:* & *i qui dicit se in illo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Non ergo dubitandum est quin à divino spiritu excitetur, qui ad sectanda Christi vestigia impellitur.

2. Cum divinus spiritus bona nobis inspirat ad faciendum ea, tria in nobis operatur, ut Bernardus ait *k: Monet, docet, & movet.* Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem. In his enim tribus tota consistit anima nostra. Memoria suggerit bona in cogitationibus

<sup>f</sup> Matth. 11. 29. <sup>g</sup> Ioan. 19. 15. <sup>h</sup> Ioan. 14. 6. <sup>i</sup> <sup>k</sup> *an. 2. 6. k Serm. 1. Pentec.*

sanctis, atque ita ignaviam nostram torporemque repellit. Rationem illuminat, ut videat quae agenda sunt, & sic tenebras dissipat ignorantiae. Movet denique & afficit voluntatem, & sic adjuvat infirmitatem nostram. Tria haec operatur in anima per gratiam suam, tribuens nobis cogitare, velle, & perficere quod bonum est. Et primum quidem operatur in nobis, secundum nobiscum, tertium per nos.

3. Solius Dei est ex suo instinctu consolationem in anima relinquere, nulla precedente consolationis causa, ut S. Ignatius observat in libello exercitiorum; proprium est enim creatoris suam ingredi creaturam, & illam in amorem sui totam convertere, trahere, & mutare. Nullam verò causam precedere tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostrae quidpiam objectum est, quod huiusmodi consolationem ex se causare possit. Inter justos autem & peccatores hoc interest, quod justis tanquam similibus placide illabatur, statimque discusso timore sequitur consolatio. Peccatores verò, tepidos, & minus spirituales gravius conturbat, quia sibi dissimiles



DE DISCRETIONE

reperit, ut supra notatum est, terrore autem concussos gratia compunctionis recreat, qua eos excitat ad propriam cognitionem, & ad desiderium perfectionis.

Primum quidem, ait Bernardus <sup>l</sup>, sonans in auribus anima vox divina conturbat, terret, dyudicatque: sed continuo, sibi ne adverteris, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Hinc agnoscimus verissimam esse magni Antonii apud Athanasium <sup>m</sup> sententiam, non esse difficilem beatorum spirituum malorumque discretionem. Si enim, inquit, post timorem successerit gaudium, à Domino venisse sciamus auxilium, quia securitas anime presentis majestatis indicium est. Si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur. Refert & laudat hanc sententiam Angelicus Doctor <sup>n</sup>, quæ licet de visionibus & apparitionibus à S. Antonio prolata sit; in occultis tamen instinctibus locum etiam habet. Ratio autem est, quia ex hoc ipso quod homo supra se ipsum elevatur, pars ejus inferior debilitatur, ex quo provenit perturbatio: sicut etiam calore naturali ad interiora reducto,

<sup>l</sup> Ser. de utilit. verb. Dei. m In vita S. Ant. n 3. p. q. 30. n. 3 ad. 3.

SPIRITUUM CAP. VIII. III

exteriora tremunt. Sic Daniel consternatus est initio visionis: sic B. Virgo ad Angeli salutationem turbata est: sic commotus est Zacharias viso Angelo, & timor irruit super eum: sic Joannes initio revelationum cecidit tanquam mortuus, ex ingenti pavore veluti exanimatus: sic Apostoli in transfiguratione Domini ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.

4. Mens, quæ habet Deum sui motus auctorem, rectissimum in omnibus sibi finem proponit: ille enim semper excitat ad majorem sui gloriam quærendam, qui omnia propter semetipsum operatus est; neque potest à Deo moveri, qui ad aliud quærendum incitatur. Notissima est Augustini doctrina <sup>o</sup>, Deo solo, quia finis est, debere nos frui, cæteris rebus uti. Neque est alia vita hominum vitiosa atque culpabilis, quàm quæ male uritur, & male fruitur. Verè etiam dixit Bernardus <sup>p</sup>, non esse Deo gratam obedientiam sive patientiam nostram, nisi omnium quæ agimus vel patimur ipse sit causa.

5. Instinctus Dei animam docilem facit,

<sup>o</sup> Lib. 1. de doct. chr. c. 35. lib. 10. de Trin. cap. 10.  
<sup>p</sup> Ser. de obed. & patient.

112 DE DISCRETIONE

aliorumque sententiæ & consiliis, seniorum præsertim & superiorum, acquiescentem, sicut legimus apud Isaiam 9, Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii. In qua sententia, juxta Bernardi expositionem, voluntaria habemus obedientiæ formam, & longanimitatis exemplum. Qui enim non contradicit, spontaneus est; & qui retrò non abii, perseverat. Neque obstat quod qui docent, & dirigunt, aliquando minus docti & imprudentes sint; nam sicut ait Climacus, Deus non est iniquus, ut animas que per fidem & simplicitatem alterius se consilio & judicio humiliter subiciunt, decipi patiatur.

6. Quia patientia opus perfectum habet, & nos Christo qui pro nobis crucem sustinuit, similes efficit; boni instinctus indicium est, cupiditas multa patiendi, animusque paratus ad quæcunque mala fortiter toleranda. Hic impulsus nec à diabolo, nec à propria natura esse potest. Acute ut solet Terrullianus: Patientia ita proposita Dei rebus est, ut nullum præceptum obire quis, nullum opus Domino

9 Isaj. 50. 5. 1 Ser. 28. in Cant. f Gradus 26. 1 Lib. de Patient. c. 1. & 3.

complacitum

SPIRITUUM CAP. VIII. 113

complacitum perpetrare extraneus à patientia possit. Et infra. Christus saginari volupate patientiâ discessurus volebat. Despuitur, verberatur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis. Patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Adversitatibus veluti infallibili notâ boni à malis distinguuntur. Malorum enim perpeffione malus homo deterior efficitur, bonus purgatur, excoquitur, perficitur. Et illi quidem, quorum virtus nondum robusta est, turbari animo & angî solent in primo occurfu adversitatis, licet postea divinæ dispositioni obtemperantes libenter patiantur: at vir perfectus ad tormenta, ad calamitates tanquam ad nuptias aspirat; sereno & exultanti animo advenientem crucem amplectitur, seque tanto Dei beneficio indignum putat. In his autem pœnis, quæ ad carnis castigacionem voluntarie assumuntur, illud ante omnia servandum, quod ab antiquis dictum est, Ne quid nimis. Nam Dei spiritus modum servat, & discretio-

K

114. DE DISCRETIONE

nis metas non excedit. *Sapientia est Deus*, ait Bernardus <sup>u</sup>, & vult se amari non solum dulciter, sed & sapienter. Vnde Apostolus, rationale, inquit, obsequium vestrum: alioquin facillimè zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas. Eandem moderationem commendat Gregorius <sup>x</sup> dicens <sup>1</sup>, sic necesse est, ut artem quisque continentie teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat. Nam plerumque dum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur: ut ad orationem quoque vel predicationem non sufficiat; dum incentiva vitiorum in se fundius suffocare festinat. Adjutorem quippe habemus intentionis interne hunc hominem, quem exterius gestamus, & ipsi insunt motus lascivie, ipsi affectus suppetunt operationis bone. Sape verò dum in illo hostem insequimur, etiam civem quem diligimus, trucidamus; & saepe dum concivi parcimus; ad prælium hostem nutrimus.

7. Signum est evidens divini spiritus eas potissimum virtutes diligere, & exercere, quæ Christi sectatoribus maximè conveniunt, quales sunt simplicitas, hu-

<sup>u</sup> Ser. 20. in Cant. x Lib. 30. mor. c. 14.

SPIRITUUM CAP. VIII. 115  
 militas, veritas, atque sinceritas, quæ mundi amatoribus incognitæ sunt. Ego sum veritas, dixit Dominus, & cum simplicibus sermocinatio ejus: quia, ut exponit Gregorius <sup>1</sup>, de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat. Ideò scriptum est <sup>2</sup>, abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Sunt hæc virtutes quasi lydius lapis, ad quem reliquæ probandæ sunt. Quacunque enim prærogativa patientiæ, continentie, mansuetudinis, modestiæ, pietatis quispiam videatur excellere, si non est in eo veritas & simplicitas, si se profert, si sua extollit, si suo iudicio pertinaciter adhæret, si quæ in verbis & factis ejus apparet duplicitas, reliquæ virtutes simulationes sunt & illusiones. Optimè iterum Gregorius <sup>u</sup>. Sapientia justorum est nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quàm facere, nullam injuriæ ultionem querere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed

<sup>y</sup> Psal. p. 3. adm. 12. z Matih. 11. 25. a Lib. 10. mor. cap. 16.



116 DE DISCRETIONE

hec iustorum simplicitas deridetur, quia ab huius mundi sapientibus fatuitas estimatur. Si quis igitur erit, qui in omnibus justificationibus Dei corde simplici incedat, qui non ambulet in magnis neque in mirabilibus super se, neque sequatur ad inventiones suas, hunc difficile est diabolicis illusionibus falli. Sicut enim rebellibus Angelis, & primis parentibus nostris causa lapsus fuit superbia, ita humilitas & simplicitas tutissima ad Deum via est, divini que instinctus certa probatio, quæ si in omni motione & operatione invenirentur; frustra ut ait Gerson<sup>b</sup>, alia signa multiplicarentur. Hac notâ Dominicus Bannez insignis Theologus spiritum S. Teresie agnovit & approbavit. Ego, inquit<sup>c</sup>, per multos annos ejus confessiones excepi, eamque sapius examinavi, semper me erga illam valde asperum ac rigidum præbens: quo magis autem illam humiliabam, & despiciebam, eo magis ipsa ad meum consilium petendum animabatur, ita se existimans tutius incedere. In nulla autem persona majorem animi sinceritatem, simplicitatem, & humilitatem observavi.

<sup>b</sup> De disc. visionum signo 4. <sup>c</sup> Initio ep. 7am S. Teresie.

SPIRITUM CAP. VIII. 117

8. Ubi spiritus Dei, ibi libertas spiritus à S. Francisco Salesio<sup>d</sup> tantoperè commendata reperitur. Hæc est autem libertas filiorum Dei, avulsio affectus à cunctis rebus, quatenus mens libera & expedita Dei voluntatem in omnibus sequi semper parata sit. Homo præditus hac libertate non adhæret consolationibus, afflictiones autem eâ animi tranquillitate suffert, quam permittit mortalis infirmitas. Spiritualibus exercitiis non ita cor affigit, quin ea possit absque mœstitia & anxietate libere intermittere, justâ causâ necessitatis, charitatis, vel obedientiæ interveniente. Gaudio suo interno nunquam privatur, nam cor avulsum ab omni creatura nullius rei privatione tristatur, sicut dicit Scriptura non contristabit justum quicquid acciderit ei. Recipit quidem spirituales consolationes, amat suas exercitationes; sed illis non servit, non hæret. Contristatur etiam aliquando, sed ad modicum tempus; nam statim se intro recipit, ubi omnia pacata sunt.

9. Non omnes servi Dei verum habent & purum lumen, nec semper qui illud

<sup>d</sup> Lib. 1. epist. 1. c. Pr. v. 12. 21.

118 DE DISCRETIONE

habent, eo illustrati loquuntur aut operantur; sed tunc solummodo cum Deus vult ejus largitor & dispensator. Quod si ea quæ vident divinâ claritate perfusi scribere & evulgare conentur, non eis pro voto succedit, nisi ad id speciali Dei instinctu moveantur. Quæ verò sic moti, & illuminati loquuntur, nonnisi ab illis intelligi possunt, qui ejusdem lucis plus vel minus participes sunt. Sicut enim corporalem formam cernit oculus corporis corporeâ luce imbutus: ita oculus mentis divino lumine illustratus interni hominis speciem intuetur. Sed hoc lumen paucis conceditur, & idcirco exiguus numerus illorum est, qui vere interni sint, qui alios intimè possint agnoscere. Id magno suo incommodo S. Teresia experta est, cujus directores nec spiritum nec loquelam ejus percipere poterant, donec incidit in homines eodem, quo ipsa, lumine perfusos, quales fuere S. Petrus de Alcantara, S. Franciscus Borgia, Balthasar Alvarez, & alii non dissimilis virtutis & sanctitatis. Sunt & alia multa ejusdem generis exempla, quæ prolixo operis foret recensere. Hinc voces & phrales mysticorum homines ignorantes, & carnales,

SPIRITUUM CAP. VII. 119

qui non percipiunt quæ sunt spiritus Dei, falsis interpretationibus in sinistram sensum detorquent. Nam ut ait sapientissimus Bernardus *f*, *Frustra ad audiendum legendumve amoris carnem, qui non amat, accedit, quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quo modo enim græcè loquentem non intelligit qui Græcum non novit, nec latine loquentem, qui Latinus non est, & ita de cæteris: sic lingua amoris ei qui non amat barbara, erisque sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.*

10. Gratia Dei ex se non destruit aut debilitat naturam, imo potiùs eam muniat, confortat, & perficit: idem enim Deus auctor naturæ est, & dator gratiæ. Quando igitur ægritudo aliqua aut lassitudo provenit ex his quæ homo instinctu divino operatur, non gratiæ effectus est, sed naturæ debilitas, quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam: neque ideo putandum est motionem illam non esse à Spiritu sancto. Legimus enim Danielelem post visionem Angeli omni vigore destitutum fuisse. *Et non remansit, ait ille, in me fortitudo, sed & species meæ*

*f* Ser. 79. in cant. y Dan. 10. 8.

110 DE DISCRETIONE

*immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium.* Nam ut observat Gregorius, cum mens humana ultra se ad videndum ducitur, necesse est, ut hoc carneum vasculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur. Idque non solum in visionibus beatorum spirituum, sed etiam in divinis consolationibus contingit, quas interdum viri sancti cum ex carnis infirmitate ferre non possent, clamabant, *satis est Domine, satis est.*

11. Ingens argumentum divini spiritus, & non exigua pars spiritualis prudentiæ est, ea exercitia & opera communiter complecti, quæ huic ætati, in qua degimus, sunt peculiariter accommodata. Nullum verò temporum delectum habere, fraus est & deceptio maligni spiritus. Manifestum est diversam à Deo in diversis ætatibus observatam esse rationem perducendi homines ad salutem. In mundi primordiis lumen naturale plurimum momenti habebat: secuta est Circumcisio, & ætas ceremoniarum: tum affulsit lux evangelii, & sub ea aliarum quasi minorum ætatum discrimina. Cum primùm Ecclesia fundata est, palam fidelibus spiritus

h 3. Dial. cap. 24.

sanctus

SPIRITUUM CAP. VIII. 121

sanctus è cælo mittebatur: postea hoc visibili munere subtracto martyrium successit: tum Doctorum hæreses confutantium, & scripturas exponentium eluxit ingenium: floruit deinde innumerabilis Monachorum multitudo, qui se omni genere asperitatis affligerunt: alia denique tempora inter se nexa presentia induerunt, quorum conditio senescente jam mundo exigere videtur, ut à miris & insolitis abhorreamus, vitæque internæ operam demus, ut arctius cum Deo jungamur. Quod verò aliqui scribunt, debiliora nunc corpora esse, nec ferre posse victus & vitæ asperitatem, qualem in actis Sanctorum legimus, id seraphica virgo Teresia refellit è contrario asserens eo magis nunc oportere ea imitari, quæ Christus & sancti Martyres ac Confessores passi sunt, quo major est mundi improbitas, & ad carnis desideria perficienda effrenis licentia.

11. Indicium quoque est divini spiritus propriæ vocationi insistere, nec ad alia instituta divagari. Dicit enim Apostolus debere unumquemque in ea vocatione manere, in qua vocatus est. Et S. E.

i vitæ suæ cap. 27, & 1. Cor. 7. 29.

L



122 DE DISCRETIONE

phrem, ait, *In quo vocatus es opere firma anchoras & funes, ne in pelagus tua navis impellatur.* Rurfus Apostolus <sup>m</sup>, obsecro vos, inquit, *ut dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestre.* Quod si quisque suo feratur imperu ad ea quibus subinde afficitur, non planè unitas erit, sed confusio, Spiritus sanctus cuique statui suos limites præscripsit, quos transilire nefas est: & Christus Dominus ad sua sequenda vestigia invitans ait: *Si quis vult venire post me, rollat crucem suam.* Suam inquit, non alienam, secularis suam, religiosus suam; suam Princeps, suam item subditus; suam robustus, infirmus suam. Sicut quæque arbor non alienum fructum, sed suum profert: ita clericus clericum agere debet, monachus monachum, nec unquam à proprio instituto deflectere; nisi fortè Spiritus sanctus ad altiorem perfectionem aliquem vocet. Hæc autem motio subtiliter examinanda est, ne sub prætextu majoris bo-

1 Adhort. 4. 10. 2. in Ephes. 4. 1.

SPIRITUUM CAP. VIII. 123

ni per diversa temerè vagantes omni vento circumferantur.

13. Pax & tranquillitas animi, pacisque comes lætitia, & interna jucunditas signa sunt divini instinctus. Ubi tenebræ, ubi confusio, & perturbatio, ibi Deus non est, quia factus est in pace locus ejus. Veniens in mundum Salvator noster pacem nobis per Angelos nunciavit: discessurus è mundo eandem nobis velut testamento reliquit dicens, *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Fructus Spiritus, ait Apostolus, *Gaudium, Charitas, Pax.* David quoque canit, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquatur pacem.*

14. Argumenta divini spiritus sunt, nihil à Deo nominatim petere, nisi ejus impulsu ad illud petendum moveamur. Hoc autem postulare oportet, ut doceat nos petere quæ ipsi grata & nobis salubria sunt, voluntatem nostram divinæ subjicientes, quoniam ipsi cura est de nobis. Deinde in proposito virtutis constanter perseverare, propriam infirmitatem suspectam semper habere, & propter labendi periculum cum ingenti erga Deum fiducia continuo timore percelli <sup>n</sup>, nescit

<sup>n</sup> Eccl. 9. 1.

124. DE DISCRETIONE

enim homo utrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta. Nullam item habere opinionem, quæ factæ Scripturæ consentanea non sit, ipsa siquidem est regula certa divinorum instinctuum: & à placitis sanctorum Patrum, atque à communi doctorum orthodoxorum sensu nusquam discedere, nam super illos extolli intolerabilis superbiæ foret. Sanctus Abbas Antiochus ° *Argumentum*, inquit, evidens est, quod quis spiritum sanctum habeat, si mansuetus & quietus sit, si de se quam modestissime sentiat, si sibi temperet ab omni vana cupiditate hujus sæculi, seque ipsum cæteris hominibus multo æstimet inferiorem. Denique ut sapienter Tertullianus p scribit, *Vbi Deus est, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ, Vbi metus in Deum, ibi gravitas honesta, & diligentia adtonita, & cura sollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subjectio religiosa, & apparitio devota, & processio modesta, & ecclesia unita, & Dei omnia.*

III. Pertinet ad divinum instinctum locutio Dei, qua variis mirisque modis animam instruit & excitat omnipotentiam suam,

o *Hum. 102. p De prescrip. cap. 43.*

SPÍRITUUM CAP. VIII. 125

& ineffabili sapientiâ. Duobus modis, ait Gregorius Magnus 9, loquutio divina distinguitur. Aut per semetipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam Angelicam ejus ad nos verba formantur. Sed cum per semetipsum loquitur, virtus ejus intima quadam sublevatione cognoscitur. Cum verò per Angelum voluntatem suam Dominus indicat, aliquando eam verbis & rebus, aliquando imaginibus cordis oculis ostensis: aliquando imaginibus & ante corporeos oculos ad tempus ex aère adsumptis: aliquando cœlestibus substantiis, aliquando simul terrenis & cœlestibus. Nonnunquam vero etiam per Angelum humanis cordibus ita loquitur Deus, ut ipse quoque Angelus mentis obtutibus presentetur. Sed forte, inquit Bernardus r, ascendunt cogitationes in corde tuo, & quæris dubius apud te dicens: Qua ratione verba Verbi facta ad animam referuntur, & quomodo possunt hæc fieri? Nam verbo loquimur, non verbum loquitur. Bene queris, sed attende spiritum loqui, & spiritualiter oportere intelligi qua dicuntur. Quoties proinde audis vel legis Verbum atque Animam pariter colloqui & se invicem intruere,

9 *Lib. 28. mor. cap. 2. r Serm. 45. in cant.*

nolūt tibi imaginari quasi corporeas imercurrere voces, sicut nec corporeas colloquuntium apparere imagines. Audi potius quid tibi sit in huiusmodi cogitandum. Spiritus est Verbum, spiritusque anima, & habent linguas suas quibus se alterutrum alloquuntur, presentesque indicent. Et Verbi quidem lingua favor dignationis ejus, anima vero devotionis fervor. Hæc Bernardus, qui licet Gregorio adversari videatur, nullam tamen inter utrumque repugnantiam esse patebit, si triplicem loquutionis modum distinxerimus. Primus est per verba externa corporeis auribus ab homine vigilante percepta, Angelorum ministerio ut plurimum formata, quibus audientis intellectus illustratur. Sic Moyse & Prophetis loquutus est Deus. Sic baptizato Christo, & in monte transfigurato audita est vox *hic est Filius meus dilectus*. Sic eodem orante vox è cælis insonuit *clarificavi & iterum clarificabo*. Sic sæpius legimus ex statuis & imaginibus Christi Domini & Sanctorum voces prodiisse viris sanctis ante ipsas orantibus. Secundus modus est per verba interna non aure corporis, sed imagi-

*f. Matih. 3. 17. Ibid. 27. 50. v. Ioan. 12. 28.*

SPIRITUUM CAP. VIII. 127  
natione percepta, sicut somniantibus solet accidere. Hæc autem verba aliquando è supernis descendere, aliquando ex imo cordis prodire, aliquando juxta audientem, aliquando è loco remotiori proferri videntur. Interdum persona loquens, ut Christus aut B. Virgo, se manifestat, propria figurâ phantasiæ impressâ, ita ut audiens nullatenus dubitare possit quis loquatur: interdum vox sola auditur, persona loquens ignoratur. Solet frequentius hæc mystica Dei loquela in somno audiri, quia tunc anima nullo tumultu, nullis curis exterioribus distrahitur. Hinc Deus ad Aaron dixit *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*. Et Job ait *per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum & erudiens eos instruit disciplina*. Tertius modus sublimior est, cum vox Dei loquentis in silentio ad cor Hierusalem non aure, non imaginatione, sed solo intellectu spiritualiter percipitur. Loquitur enim Deus in apice mentis uno simplicissimo verbo, & anima audit simplicissimo mentis

*x Num. 12. 6. y Job. 33. 15.*

intuitu. Sicut Angelis, & Beatis loquitur, non aliqua voce sensibili; sed imprimendo ipsorum intellectui veritatem quam illis manifestare decrevit: ita in parte superiori animæ verba sua profert, clarissimâ quadam luce infusâ, in qua sine labore & fastidio, imò cum admirabili quiete & suavitate multò plura brevissimo tempore docetur anima, quàm posset proprio studio multis annis ediscere. Appositè Gregorius Magnus <sup>2</sup>. *Spiritum Dei quasi quadam nobis verba dicere, est occulta vi qua agenda sunt intimare, & cor hominis ignarum, non adhibito strepitu & tarditate sermonis, peritum repente de absconditis reddere.* Sed hæc gratia paucorum est, nec facilè explicari potest, quomodo hæc fiant. Sic fortassis loquutus est Paulo, cum audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et Augustinus <sup>4</sup> explicans verba illa Geneleos, *cum audivissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso.* Fortassis, ait, *Deus cum illis loquebatur, sicut cum Angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum.* Plura de hac triplici loquutione

<sup>2</sup> Lib. 28. mer. cap. 2. a. De Gen. ad lit. lib. 11. cap. 33. Gen. 3. 8.

scriptores mystici disputant, sed his omissis, quia ad hunc tractatum non pertinent, jam regulæ tradendæ sunt, quibus veræ à falsis discerni queant.

1. Verba primo & secundo modo prolata & Dei & dæmonis & propriæ imaginationis esse possunt. Facilè autem cognoscuntur, quæ à Deo non sunt, quia ariditatem, & inquietudinem post se relinquunt. Quod si aliquando fervidum quemdam affectum & falsam humilitatem instillant, & lacrymas excitant, hostis dolus est sub hac larva latentis, ut tandem animam in vanitatem & sui æstimationem præcipitet. Hujus verò mali remedium est, hujusmodi alloquia, etiam si à Deo sint, non magni facere, seque illis indignum judicare, ac solidis virtutibus incumbere.

2. Loquutio Dei efficacissima est, statimque effectum suum operatur in anima: *Vivus est enim sermo Dei*, inquit Apostolus, *& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & peringens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarum.* Quapropter eodem momento & loquitur & operatur, statimque efficit in anima, quod enuntiat;

130 DE DISCRETIONE

ut si afflictæ & anxie dicat, *Noli timere*; omnis protinus mœstitia, omnis perturbatio sedatur. Narrat Franciscus Ribera in vita S. Teresie quod cum initio suæ conversionis à secularium amicitiiis difficile se expediret, orans aliquando audivit in intimo animæ suæ hæc verba: *Iam nolo amplius te cum hominibus conversari, sed cum Angelis.* Quibus verbis ita repente mutata est, ut deinceps non potuerit amicitiam habere & consolationem; nisi cum servis & amicis Dei, & cum iis qui de oratione tractabant.

3. Verba Dei tametsi vera & justificata in semetipsis, possunt tamen ab audiente sic intelligi, ut nec vera, nec certa videantur. Oritur hic defectus ex imbecillitate & imperfectione nostri intellectus. Sicut enim exaltantur cœli à terra, ita sermo Dei à sermone hominum: cumque sapientia Dei incomprehensibilis sit, mirum non est, quod verba ejus sensum sæpe habeant ab eo diversum, qui juxta communem loquendi modum nihil ultra considerantibus occurrit. Patet hoc evidenter ex sacris literis. Abrahæ promisit Deus se daturum terram Chananæorum <sup>c</sup>,

<sup>b</sup> Lib. 1. cap. 9. c Gen. 13-14.

SPIRITUUM CAP. VIII. 131

*omnem terram quam conspicias, tibi dabo.* Cumque jam senuisset, nec tamen regionem illam possideret, rursusque Deus dixisset illi <sup>d</sup>, *ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldeæorum, ut darem tibi terram istam & possideres eam*: respondit Abraham, *unde scire possum quod possessurus sim eam?* & dixit ad eum Dominus, *semini ejus daturum se illam post annos quadringentos servitutis in Ægypto, ex quibus constat divinam promissionem non bene à S. viro intellectam fuisse.* Credidit enim se possessurum terram illam, quæ ipsius nepotibus post aliquot secula promissa & destinata erat. Jacobo quoque eunti in Ægyptum dixit Deus <sup>e</sup>, *ego, descendam tecum, & inde adducam te revertentem*: quod tamen non ita evenit, ut verba sonant: nam Jacob mortuus est in Ægypto, & in posteris ac nepotibus suis promissio adimplera est. Legimus similiter in libro Judicum <sup>f</sup>, quod perpetrato à tribu Benjamin horrendo scelere; reliquæ Tribus filiorum Israel congregato exercitu quadringentorum millium perrexerunt adversus Benjamin, invitoque certamine jussu Dei, semel atque iterum profligati

<sup>d</sup> Gen. 15. 7. c Gen. 46. 4. f Jud. 20.



fuit: quia nimirum verba Domini perpe-  
ram de victoria intellexerunt, cum non-  
nisi de incundo praelio loquutus fuerit.  
Abiit Jonas a in Niniven, & predicavit  
in ea ex ore Domini, *Adhuc quadraginta  
dies, & Ninive subvertetur*: & tamen non  
est subversa, quia verba Dei comminato-  
ria erant, & sub conditione prolata, nisi  
agerent penitentiam. Non ergo noster  
intelligendi modus in divinis loquutioni-  
bus & predictionibus attendi debet, quia  
multum discrepat à communi hominum  
sensu sermo divinus; nec ideo falsitatis  
argui debent quaedam sanctorum revela-  
tiones, quas legimus, de reformatione  
ecclesie, de mutatione regnorum, si statim  
non adimplentur, quia forte latet sub ver-  
bis Domini occultus sensus hominibus  
ignotus: Et mille anni ante oculos Dei  
tanquam dies hesternæ, quæ præterit.

4. Cum verba à Deo sunt, clariùs in-  
telliguntur, quàm si auribus exciperentur;  
& si quis ea audire recuset, & oblectetur,  
non tamen potest impedire, quin ipsa  
mente percipiat, & animam impellant,  
quo Deus vult. S. Teresa <sup>b</sup> integro ferè  
biennio his internis loquutionibus, omni

g Ionæ 3. h Vita cap. 25.

qua potuit contentione, restitit; sed irri-  
to semper conatu.

5. Cum Deus mandat aliquid fieri, dat  
etiam robur & vires adversus impedi-  
ta & contradictiones. Cavendum nihilo-  
minus est, ne statim hujusmodi mandata  
executioni mandentur, sed prudentis di-  
rectoris adhibendum consilium, qui sta-  
tuere possit quid agendum sit. Facile dia-  
boli se laqueis implicat, qui suo se ar-  
bitrio regens quicquid mente percipit te-  
merè aggreditur.

6. Proprii intellectus, seu phantasia lo-  
quutiones his signis discernuntur à divi-  
nis, quia cum potentie nostræ loquuntur,  
ipsæ ea, quæ dicunt, ordinant, & dispo-  
nunt, situmque est in nostra potestate ab  
iis, cum libuerit, divertere. Cum verò  
Deus loquitur, potentie nostræ silent &  
audiunt, nec cogitationem ab auditu aver-  
tere, aut illa rejicere possunt. Deinde quæ  
à Deo dicuntur procul ab humana intelli-  
gentiâ remota sunt, brevissimoque tem-  
poris spatio adeò multa audiuntur, ut nul-  
lo modo potuerint ab humano ingenio  
tam citò excogitari.

7. Indicia sunt divinæ loquutionis, si  
verba audita memoriâ non excidant, si



134 DE DISCRETIONE  
 nulla de iis præcessit cogitatio; si audiens non solum sententiæ, sed singulorum etiam verborum postea meminerit; si consona sacræ Scripturæ, & Ecclesiæ doctrinæ sint; Si animam illuminent, corroborent, & ad perfectionem impellant. Exemplum internæ hujus loquelæ ex auctore vitæ Hieronymi Gratiani Carmelitæ spectatissimæ virtutis hic referre operæ pretium puto. Is cum aliquando matutinum officium recitaret, radium fulgentissimæ lucis vidit figuræ pyramidalis, cujus apex ab oculo incipiens & paulatim extensus usque ad cælum protendebatur; In eo lumine vidit perspicuè S. Matrem Teresiam miro splendore coruscantem, quæ dixit illi. *Nos & vos unum simus in puritate, & amore: nos fruendo, vos suscipiendo: & quod nos agimus cum essentia divina, id vos agite cum sanctissimo Sacramento. Hoc dico omnibus filiabus meis.* Hæc autem visio & ista loquutio in momento peracta sunt, ita ut alternatim cum aliis psallere ne unum quidem psalmi versiculum omiserit. Eam verò lucem puriorem & clariorem luce solis fuisse asseruit, quam & clausis & apertis oculis

<sup>1</sup> Parte 2. cap. 17.

SPIRITUUM CAP. IX. 135  
 æqualiter & sine offensione videbat. Verborum quæ audivit, nunquam potuit oblivisci eo idiomate quo prolata fuerunt. Transacta visione nec minima quidem elatione tentatus fuit, imò statim cogitare cœpit, essetne à Deo, vel à demone. Sed protinus interno auditu vocem arguentis se audivit, quod tempus inutiliter tereret in ea consideratione: verba potius, quæ audierat, meditaretur. Præclare disserunt de his loquutionibus S. Teresia vitæ suæ cap. 25. cum duobus sequentibus; & in castro animæ mansionem 6. cap. 3. & Joannes à cruce lib. 2. ascens. montis Carmeli cap. 28. & sequentibus.

CAPUT IX.

*Quæ signa divinam inspirationem antecedant, comitentur, & subsequantur.  
 Quomodo optanda & recipienda sit.*

I. Satis jam de indiciis, quibus divinus Spiritus cognosci potest. Sed quò luculentior fiat iste tractatus, libet hic cum Bernardo subtiliùs indagare qua solertia, & quàm vigili oculo fidelis anima tempus observet visitationis suæ, per singula mo-

a Ser. 57. in Caut.



menta diligenter explorans adventum sponsi, ut cum venerit & pulsaverit, confestim aperiat ei. Felix anima, quam veniens Dominus invenerit vigilantem. Visitationem frequenter, audietque ab eo vocem pacis & salutis, vocem amoris & exultationis. Signa autem adventus ejus, quæ Mellifluus Pater tum proprio tum alieno experimento se didicisse fateretur, ista sunt.

1. Primum est suggestio bona. Ait enim. Si admonitus fuero, vel foris ab homine, vel intus à spiritu de tuenda justitia & servanda equitate, istiusmodi salutaris suasio erit mihi profecto prenuntia imminentis adventus sponsi, & preparatio quadam ad dignè suscipiendum supernum visitatorem. Prophetam id mihi indicante dicendo, quia Justitia ante eum ambulabit; & item loquitur Deo sic: Justitia & Judicium preparatio sedis tuæ. Nihilominus verò spes eadem arridebit, si sermo insonuerit de humilitate, vel patientia, seu etiam de fraternâ charitate & obedientia deferenda Prelatis: maximè autem de sectanda sanctimonialia, & pace, & cordis puritate querenda, quoniam quidem scriptura ait, Domum Domini decet sanctitudo: & Factus est in pace locus ejus: & Mundi corde

de Deum videbunt. Quicquid itaque sive de his, sive de aliis quibuslibet virtutibus suggestum animo fuerit, significatio erit mihi, visitationem Domini virtutum imminere anima mea.

2. Correptio est, nam sequitur. Sed et si corripuerit me justus in misericordia, & increpaverit me, id ipsum sentiam, sciens quia emulatio justis, & benevolentia iter faciunt ei qui ascendit super occasum. Bonus occasus, cum ad correptionem justis stat homo, & corrumpit vitium, & Dominus ascendit super illud, conculcans hoc pedibus & conterens ne resurgat. Non ergo contemnenda increpatio justis, quæ ruina peccati, cordis sanitas est, nec non & Dei via ad animam.

3. Exhortatio. Nec ullus omnino sermo qui edificat ad pietatem, ad virtutes, ad mores optimos, negligenter est audiendus, quoniam & illic iter quo ostenditur salutare Dei. Quod si sermo gratus venit & placidus, quatenus pulso fastidio cum desiderio audiatur: jam non modò venire sponsus, sed & accelerare, id est cum desiderio venire credendus est. Illius namque desiderium tuum creat, & quod tu ejus properas sermonem admittere, inde est quod ipse fe-

stinat intrare: non enim nos eum, sed ipse prior dilexit nos.

4. Compunctio. Si etiam ignitum eloquium sentis, atque ex eo conscientiam tui in recordatione peccati, recordare tunc de quo scriptura dicit, quia ignis ante ipsum praecedet, & ipsum prope esse non dubites. Denique juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.

5. Conversio. Si verò non solum conpungeris in sermone illo, sed & converteris totus ad Dominum, jurans & statuens custodire iudicia iustitiae eius: etiam adesse ipsum jam noveris, praesertim si te inardescere sentias amore eius. Etenim utrumque de illo legis, & ignem videlicet ante ipsum praecedere, & ipsum nihilominus ignem esse: Moyses siquidem de illo dicit, quia ignis consumens est. Differunt autem quod is qui praemittitur ignis, ardorem habet sed non amorem. Tantum ad excitandum praemittitur & preparandum, simulque ad commonendum quid ex te sis, quo dulcius sapiat postmodum quod ex Deo mox eris. At verò ignis qui Deus est, ardet suaviter, desolatur feliciter. Ergo in virtute qua immutaris, & in amore quo inflammaris, Dominum praesentem intellige.

6. Dilatio & illuminatio mentis. Hoc igne consumpta omni labe peccati & rubigine vitiorum, si jam emundata & serena conscientia, sequatur subita quadam atque insolita latitudo mentis & infusio luminis illuminantis intellectum vel ad scientiam scripturarum, vel ad mysteriorum notitiam, quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter adificandos proximos reor dari: oculus respicientis proculdubio est iste, educens quasi lumen iustitiam tuam & iudicium tuum tamquam meridiem, juxta illud Isaia, orietur tamquam Sol lux tua.

7. Insinuatio divinae voluntatis. Post hunc tanta dignationis ac miserationis respectum sequitur vox blandè & leniter divinam insinuans voluntatem, quae non est aliud quam ipse amor, qui otiosus esse non potest, de hisque Dei sunt sollicitans & suadens. Denique audit sponsa ut surgat, & properet, haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera & casta contemplatio habet, ut mentem quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis pro studio praedicationis libentissime intermittat: & rursum

posita votis, aliquatenus in hac parte tanto ardentius redeat in idipsum, quanto se fructuosius intermisisse meminerit; & item sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquirenda lucra solita alacritate recurrat. Hæc Bernardus, qui deinceps describit amantis animæ angorem inter actionis & contemplationis vicissitudinem æstuantis.

II. Quatuor priora signa divinam inspirationem antecedunt, tria posteriora concomitantur. Sed & alia quædam sunt, quæ ipsam subsequuntur. Veniens siquidem sponsum in animam, tanquam in hortum suum, metit myrrham cum aromatibus suis, relinquens in ea ferventes affectus heroicæ mortificationis, & omnium virtutum, quæ sicut aromata ex ipsa fluunt. Myrrham autem metit Christus, ait Richardus à S. Victore <sup>b</sup>; quando præmissos labores perficit in anima, quibus ad virtutem & perfectionem pertingit, & eam suaviter roborat, ut delectabiliter agat, quæ prius horrebat. Dat ei etiam favum cum melle suo, lumen infundens veritatum fidei cum tenero sensu mysteriorum in eis latentium, & dulcedine suavissima imbuens illam, ut intellectus comedat, & delectetur, &

<sup>b</sup> In Cant. cap. 32.

voluntas recreetur. Porrigit eidem poculum vino plenum, sed mixtum cum lacte, quia inebriat eam ingenti fervore, quem deinde discretionis lacte moderatur, ne operatio vires, aut zelus scientiam excedat. Alia idem Bernardus signa ore mellifluo alibi recenset his verbis. Si sensero aperiri mihi sensum, ut intelligam scripturas, aut sermonem sapientia quasi ebullire ex intimis, aut infuso lumine desuper revelari mysteria, aut certè expandi mihi quasi quoddam largissimum celi gremium, & uberiores desursum influere animo meditationum imbres, non ambigo sponsum adesse. Quod si se pariter infuderit humilis quædam, sed pinguis intima aspersio devotio, ut amor agnita veritatis necessarium quoddam odium vanitatis in me generet & contemptum, ne forte aut scientia inflat, aut frequentia visitationum extollat me: tunc prorsus paternè sentio agi mecum, & Patrem adesse non dubito. Si autem perseveravero huic dignationi dignis semper, quod in me est, affectibus & actibus respondere, & gratia Dei apud me vacua non fuerit: etiam mansionem apud me faciet tam Pater nutriens, quam Verbum erudiens.



142 DE DISCRETIONE

III. Hęc omnia operatur in anima divina inspiratio diversis occultisque modis, quos nemo novit, nec ipse quidem, qui accipit. *Nam unde in animam meam venerit*, inquit Bernardus *ignorare me fateor, secundum illud, Nescis unde veniat, aut quò vadat. Nec mirum tamen, quia ipse est, cui dictum est, & vestigia tua non cognoscentur. Ex effectibus adesse cognoscitur, quia implet animam claritatis suę splendoribus, elevat eam supra seipsam, terrenarum rerum fastidio afficit, celestium amore succendit, pace & tranquillitate serenat, gratięque fluentis irrigat, ut fructum plurimum afferat, & crescat, saliatque in vitam æternam. Quamvis autem hic spiritus ubi vult spiret, preveniens nos in benedictionibus suis, ardentibus tamen votis, summisque precibus expetendus est, ut descendat in hortum suum, & aquilonem surgere jubeat, & austrum flare. Surge Aquilo, ait sponsa <sup>d</sup>, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius. Fuge, inquit, & recede Aquilo, spiritus tristis & immunde, luce carens & calore: & veniat Auster à parte fer-*

c Serm. 74. in cant. d Cant. 4. 16.

SPIRITUUM CAP. IX. 143

vida ac luminosa: veniat Dei spiritus lucidus & inflammans, perfler hortum animę sibi consecratę, & fluant instar fluminis aromata virtutum suaveolentia, sumque in omnes effundant odorem. Preparandus insuper est animus ad recipiendum divinum instinctum, affectuum & sensuum mortificatione, ne cum venerit, distractum inveniat, & foris vagantem. Verissima est enim Bernardi sententia: *Impleri visitationibus Domini anima non potest, quę distractionibus subjacet, & quanto magis illis evacuabitur, tanto amplius istis implebitur; si multum, multum; si parum, parum.* Postquam autem adventum Domini, ejusque visitationem gratię splendoribus, perfusa anima perceperit, eadem precum instantia excipere illum & retinere debet, reddens gratiam pro gratia, & sollicitę cavens ne in superbiam elata tanto munere abütatur in sui perniciem, & in contumeliam largitoris. Ideo multis non profuit, ut Bernardus admonet, *hanc gratiam percepisse, pro eo quod temperamentum de veritate pariter non acceperant: atque inde factum est, ut in qua privatim exultare voluerunt, gratiã*

e Serm. 3. de Ascens.

*privarentur, quibus vel serò dici poterit: euntes discite, quid sit, servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Dixerat namque sancta anima quedam in abundantia sua, Non movebor in æternum, cum subito sensit averfam à se faciem Verbi, seque non modò motam, sed etiam conturbatam: & sic in tristitia didicit opus fuisse sibi cum munere quidem devotionis, etiam pondere veritatis. Ergo necessaria post divinam visitationem humilitas est, & illius vox assumenda qui dixit, Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Necessaria item gratitudo, & cognitâ propriâ indignitate in illum refundendum est munus à quo donum omne procedit. Prudentia demique adhibenda est, & circumspectio, ut id fideliter impleatur, ad quod anima Deimotione incitatur.*

## CAPUT X.

*De motione qua fit ministerio Angelorum Quomodo loquantur & illuminent. An hominum mentibus illabi possint.*

- I. **D**Ivinam motionem vel ab ipso Deo immediatè procedere, vel ministerio Angelorum fieri jam supra ex mellifluo

SPIRITUUM CAP. X. 145  
mellifluo Doctore constitutum est. Idem asserit gravissimus scriptor Dionysius " de celesti Hierarchia altissimè differens. Angeli, inquit, primariò & multipliciter Deum participant, multisque modis arcanum Dei manifestant: quamobrem præ ceteris omnibus Angelicum cognomen meruerunt, quia ipsi primùm à Deo illuminantur, & per ipsos nobis nostra revelationes transmittuntur. Sic igitur lex, ut divinus sermo testatur, per Angelos nobis data est: & illos celebres ante legem & post legem Patres nostros Angeli ad Deum adducebant, aut quod agendum erat exponentes, & ab errore & vita profana ad rectam viam veritatis traducètes: aut manifestantes sacros ordines, aut mysteriorum que supra mundum sunt abditas visiones, aut divinas quasdam prædictiones tanquam nuncii & ministri explanantes. Et infra id sanxisse ait ordinem divinæ legis, ut per superiora ista quæ inferiora sunt ad divinum Numen adducantur: quod variis comprobatur exemplis ex novo testamento. Cum enim debeat infimus ordo Angelorum actus hierarchicos exercere, idque non nisi respectu hominum præstare possit, constat manife-

## 146 DE DISCRETIONE

stè Angelos jussu Dei saepe homines movere & excitare. Rectè Augustinus <sup>b</sup>. *Deus per seipsum, quia lux est, illuminat pias mentes, ut ea qua divina dicuntur, vel ostenduntur, intelligant. Sed si ad hoc ministro utitur Angelo, potest quidem aliquid agere Angelus in mente hominis, ut capiat lucem Dei, & per hanc intelligat. Sed ita dicitur intellectum dare homini, & quasi, ut ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur lucem dare domui, vel illuminare domum, cui fenestram facit: cum eam non sua luce penetret & illustret, sed tantummodo aditum, quo penetretur atque illustretur, aperiat. Sed nec Sol, qui per fenestram illustrat domum, ipse creavit eandem domum, aut hominem qui fenestram fecit in domo, aut ipse illi jussit ut faceret, aut adjuvit ipse facientem, aut aiquid egit ut aperiretur, qua suum lumen infunderet. Deus autem & hominis mentem rationabilem atque intellectualem fecit, quo posset capere lumen ejus, & Angelum talem fecit, qui operari posset aliquid unde ad capiendum lumen Dei mens adjuvaretur humana, & eandem sic adjuvat mentem,*

<sup>b</sup> Conc. 18. in ps. 118.

## SPIRITUUM CAP. X. 147

*ut Angelicam recipiat operationem.*

II. Sunt autem duo præcipui actus supernorum spirituum erga homines, loquutio & illuminatio. Et illos quidem modo quodam excellentissimo loqui sacre literæ passim testantur; quæ ipsos inter se, & cum hominibus, atque etiam cum Deo colloquentes sæpe describunt. At de modo hujus loquutionis multæ sunt & diversæ Theologorum opiniones, quarum discussio nec hujus loci nec nostri instituti est. Sufficit enim pro re præsentis scire, quod multipliciter cum hominibus loquuntur, vel per voces sensibiles, quas in assumptis corporibus emittunt: vel easdem voces sensibiles efformando in ære absque corporum assumptione: vel per signa sensibilia concutiendo, pungendo, infigendo alapam, ut passim in actis Sanctorum legimus: vel denique per somnia, aut movendo phantasmata. Ab iisdem verò hominum mentes illuminari constans est Patrum, & Scholasticorum consensus: sed modum quoque hujus illuminationis valde perplexum & difficilem reddunt variæ & obscuræ Doctorum sententiæ. Quidam aiunt Angelum illuminantem confortare intellectum illumi-

nati producendo in eo lumen quoddam intellectuale. Alii asserunt illuminantem imprimere illuminato sui luminis participationem. Alii docent fieri illuminationem per modum speculi; sicut enim ex oppositione duorum speculorum similitudines rerum, quæ sunt in uno, resultant in altero; ita Angeli applicatio ad mentem hominis facit in ea apparere species, quæ sunt in illo. Aliorum opinio est Angelos illuminare, non infundendo lumen, aut ipsum offerendo instar objecti, aut speculi; sed per modum linguæ sermonem exprimentis, sicut magister illuminat docendo. Illi qui putant intellectum nihil posse intelligere, nisi phantasmata intiendo, negant Angelum posse hominem illuminare, nisi illustrando phantasmata, & agendo super species, quæ in sensu interiori sunt, eas diversimode dividendo & componendo. Qui verò concedunt posse fieri intellectionem absque phantasmatum speculatione, dicunt Angelum posse intellectum purè & inmediate illuminare, radios suos emittendo super species intelligibiles; quemadmodum lux sensibilis emicat & splendorem causat in rebus corporeis. Nonnulli ita expli-

cant illuminationem. Angelus primò dividit notitiam suam in plures conceptus, ut eam humano intellectui proportionatam efficiat, demittens se & accommodans captui nostro, sicut præceptor pluribus verbis & similitudinibus explicat discipulis doctrinam, quam ipse unico conceptu intelligit. Deinde confortat intellectum, ipsumque adjuvat & docilem reddit, ut ea percipere possit, quæ sibi revelantur. Alii alios modos comminiscuntur, in quibus non est opus immorari; omnes enim obscuri sunt, & ob dissidentium Theologorum oppositiones nondum satis elucidati. Longa etiam digressio necessaria foret, & tota sensuum externorum & interiorum æconomia enucleanda, ut hæc omnia dilucidè à me explicari, & facilè à legentibus intelligi ac introspecti possent. Ne quid autem desit necessariæ cognitioni, quædam breviter adnotabo, quæ certissima sunt, & in quibus omnes conveniunt.

1. Certum est primò Angelos docere; excitare, intus homines movere, veritates ignotas à Deo acceptas eisdem manifestare, purgare ipsos ab ignorantia, cognitione illuminare, & novâ aliquâ veri-



150 DE DISCRETIONE

tate ad statum gratiæ vel glorię pertinentē perficere. Quo autem pacto id præcisè contingat, Scholasticis examinandum relinquo. Agit de loquutione Angelorum doctor Angelicus 1. p. qu. 107. & de illuminatione qu. 106. & 111. Itemque de veritate qu. 9. art. 1. 2. & 3. & qu. 11. art. 3.

2. Illuminatio species quędam loquutionis est, sed differt in multis una ab altera. Nam loquutio de quibuscunque rebus esse potest, illuminatio non nisi de revelatis à Deo : illa indifferenter à superioribus & inferioribus esse potest, hæc est tantum à superioribus : illa per totam æternitatem durabit, hæc cessabit in fine mundi : illa bonis & malis, hæc solis convenit bonis ; quamvis enim demon possit alium incognita docere, quia tamen non respicit moralem discantis perfectionem, nunquam dicitur illuminare.

3. Solus Deus humanæ menti illabi potest, ipse enim solus plenum in eam dominium exercet, & quicquid vult in ea operatur. Auctor e libri de spiritu & anima inter opera Augustini, solius, inquit, Trinitatis est intrare, & implere naturam sive substantiam, quam creavit.

c. Tom. 3. cap. 27. Serm. 5. in cant.

SPIRITUUM CAP. X. 151

Bernardus item ait. Illud scitote nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante nostri sive corporis instrumento, ita nobis immisceatur vel infundatur, quo ejus participatione docti sive doctiores, vel boni sive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax. Nec ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde prerogativa hæc summo ac incircumscripto spiritui, qui solus cum docet Angelum sive hominem scientiam, instrumentum non querit nostra corporea auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur, per se innotescit, purus capitur à puris. Solus igitur Deus omnia cordis penetralia & recessus intima sua virtute scrutatur, solus animæ inest, replens in bonis desiderium ejus. Illabi enim & inesse alicui, ut seraphicus Doctor <sup>d</sup> ait, importat quod illud sit intimum illi, & intime in eo operetur ; nihil autem tale reperitur respectu animæ nisi solus Deus, ideò solus illabi animæ potest spiritus divinus, qui est finis ultimus & summum bonum ipsius. Quod si dicas, inquit Bernardus <sup>e</sup>, posse

d 2. sent. dist. 8. p. 2. qu. 2. e Lib. 5. de consid. c. 5.



152 DE DISCRETIONE

in esse & Angelum, non inficior. Memini scriptum; & Angelus qui loquebatur in me <sup>f</sup>. Atqui differentia & in hoc. Inest Angelus suggerens bona, non ingerens, inest hortans ad bonum, non bonum creans. Deus sic inest ut afficiat, ut infundat; vel potius, ut infundatur & participetur. Angelus cum anima, Deus in anima. Ille ut contubernalis anima inest, Deus ut vita.

4. Dei solius est voluntatem efficaciter movere sive immutare, ut docet S. Thomas <sup>g</sup>, quia ipse solus est ejus creator & Dominus. Hinc est illud sapientis <sup>b</sup>, *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*. Et Apostolus ait <sup>i</sup>; *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere*. Quamvis enim Angelus possit movere voluntatem proponendo objectum, concitando passiones, suasionibus alliciendo; non tamen potest ita efficaciter movere, sive immutare, ut ex invita volentem faciat. Ad solum creatorem pertinet *ex nolentibus volentes facere*, ut ait Augustinus <sup>k</sup>, *ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes*. Ipsi psallit Propheta <sup>l</sup>, *Dominus solvit com-*

f Zach. 1. g 1. 2. qu. 9. art. 6. h Prov. 21. 1. i Philip. 2. 13. k Lib. 4. ad Bonif. cap. 9. l Psal. 45.

SPIRITUUM CAP. X. 153

peditos, Dominus illuminat cecos. Et apud Ezechielem <sup>m</sup> ipsemet ait, *Spiritum novum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum*. Hæc autem superant omnem Angelorum potentiam.

5. Idem de intellectu asserendum est, in quo realiter operari, aliquid ipsi immediatè imprimendo, soli convenit Deo, qui solus potest, ut dictum est, intra potentiam spirituales illabi, ita ut ibi revera sit, & intimus existat. Angelus verò, cum ubi non est operari non possit, non imprimit intellectui, ut docet Angelicus doctor, quasi interius aliquid in ipso agens, sed solum ex parte objecti, in quantum aliquid intelligibile proponit, quo intellectus noster confortatur, & convincitur ad assensum. Quod si possent Angeli substantialiter adesse intellectui, occultas cordium cogitationes cognoscere, & quascumque vellent in nobis producere possent, quia operantur ubi sunt: hæc autem prerogativa & scripturarum auctoritate, & unanimi Patrum consensu soli Deo reservatur. Ideo orantes Apostoli dixerunt <sup>n</sup>, *Tu Domine, qui corda nosti omnium*; &

m Ezec. 11. 19. n Act. 1. 24.

154. DE DISCRETIONE

Psalmista ait °, *Ipsse novit abscondita cordis.* Item in libro Regum orans Salomon dixit p, *Tu nosi solus cor omnium filiorum hominum.* Ex hoc Tertullianus q Deum Marcionis ad sui faciendam fidem provocaturum se ait, *ut & futura prænunciet, & occulta cordis revelet.* Ambrosius r, *Dominus,* ait, *occultorum cognitione Deum se esse demonstrat.* Augustinus s, *cogitationes quas modò non videt nisi Deus, omnes invicem videbunt in illa societate Sanctorum.* Abbas Serenus apud Cassianum t soli Deo penetrabiles esse omnes spirituales atque intellectuales substantias ex eo evincit, *quod solus, totus, & ubique, & in omnibus sit; ita ut & cogitationes hominum, & internos motus, atque abdita mentis universa inspiciat, atque perlustret.*

6. Ex his facile colligi potest, qua ratione intelligenda sit scriptura " cum dicit, misisse diabolum in cor Judæ, ut traderet Dominum; vel intrasse sathanam in cor Judæ. *Considerandum est enim, ut ait S. Thomas x, quod demon dicitur ingredi*

° Psal. 43. p. 3. Reg. 8. 39. q. Lib. 1. in Marc. cap. 13.  
r Ambr. in cap. 5. Luca. s Aug. serm. 6. de divoc.  
t Coll. 7. cap. 13. u Joan. 13. 2. 27. x qd. ult. de malo  
art. 12. in fine.

SPIRITUUM CAP. X. 155

*posse mentem hominis, non secundum substantiam, sed secundum effectum, in quantum scilicet instigat hominem ad aliquid cogitandum.* Possunt nimirum Angeli tam boni quàm mali extrinsecus mentem movere objiciendo sensibus tam externis, quàm internis earum rerum species, quæ ad bonum sive ad malum invitant & alliciunt: possunt educere species ex phantasia, ut excitent intellectum: & ideo dicuntur aliquando vel causare vel immittere cogitationes, quibus tamen non consentire, cum ad malum provocant, & possumus & debemus. Quod si quispiam eis præbet assensum, tunc dicitur sathanas cor ejus intrare vel implere, non per intimum illapsum, sed secundum effectum pravaram suggestionum. *Non ergo, ait Didymus y, participatione naturæ sive substantia implet quempiam diabolus, aut ejus habitator efficitur, sed per fraudulentiam & deceptionem & malitiam inhabitare in eo creditur, quem replevit.*

7. Instinctus Angelicus initio terrorem, in fine adfert consolationem: initio Angelus abscondit se, in fine se ostendit, & prodit. Patent hæc in historia Tobie, &

y Lib. 2. de Spiritu Sancto.

156 DE DISCRETIONĒ  
in congressu Gabriëlis cum beatissima  
Virgine Maria. Nam Raphael se in fine  
rerum gestarum Tobie manifestavit: &  
B. Virgo primùm turbata est in sermone  
Angeli, deinde confortata respondit, *Ecce  
Ancilla Domini fiat mihi secundum ver-  
bum tuum.* De Angelica motione optimè  
Antiochus <sup>2</sup>. *Iustitiæ Angelus verecun-  
diæ atque intemerati pudoris cupientissimus,  
mansuetus insuper est & tranquillus. Hic ubi  
primùm ad cor hominis ascenderit, cum eo  
mox sermonem texit familiariter de iusti-  
tiâ, de munditiâ, & castitate, de probi-  
tate morum, de frugalitate sive parsimonia  
victus, de operatione quæ iusta sit, deni-  
que de omni virtute gloria celestis concilia-  
trice. Simul atque hæc cuncta ad cor homi-  
nis ascenderint, perspicuè sentitur presen-  
tia Angeli iustitiæ. Cum igitur Angeli bo-  
ni semper ad bonum excitent, eorum  
instinctus iisdem signis dignoscitur, qui-  
bus divinum discerni ostensum est supra.  
Observat autem S. Thomas eum qui illu-  
minatur cognoscere quidem suam illu-  
minationem ex parte rei quæ sibi mani-  
festatur; sed semper non cognoscere se ab  
Angelo illuminari. Multa enim beneficia,*

<sup>2</sup> Rom. 61.

SPIRITUUM CAP. XI. 157  
quæ occulta sunt, conferunt nobis Ange-  
li sancti, illi præfertim, quorum tutela  
commissi sumus.

## CAPUT XI.

*De spiritu diabolico, ejusque signis. Quæ  
sunt diaboli artes & astutia. Varia ejus  
illusiones. Quædam de Energumenis.  
De spiritu carnali, & mundano.*

I. **D**iaboli spiritus nomine ille no-  
tatur instinctus, quo menti nostræ  
suggeritur, quod malum & vitiosum est,  
quod virtuti contrarium, quod alienum  
ab exemplis & doctrina Christi: cum vi-  
delicet mens nostra à concupiscentia ab-  
tracta & illecta ad inobedientiam & præ-  
varicationem divinæ legis excitatur. Ideo  
timet Apostolus <sup>1</sup>, *ne sicut serpens Evam  
seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sen-  
sus nostri, & excidant à simplicitate quæ  
est in Christo: ne videlicet ab illo decipiamur,*  
qui tanquam leo rugiens circuit  
quærens quem devoret. Hujus fraude  
mors introivit in orbem terrarum: è cæ-  
lo enim in gehennam propter superbiam  
justè depulsus, cum ad illas beatas sedes,

<sup>1</sup> 2. Cor. 11. 3.

quæ sibi suisque sociis paratæ fuerant de-  
stinatos homines vidit, hanc illis gloriam  
invidit, blandisque suasionibus primos pa-  
rentes nostros ad esum vetiti cibi indu-  
cens, in corporis & animæ interitum cum  
omni futura sobole præcipitavit: tum nos  
paternæ labis hæredes non cessat quotidie  
occultis inspirationibus à virtutis semita  
avertere, & ad omne flagitium impellere,  
quo tandem incautos ad æternam secum  
perniciem perducatur. *Studiosus igitur*, in-  
quit Bernardus <sup>b</sup>, *consideremus quonam  
modo malignorum illorum spirituum sug-  
gestionibus audire: imò quanta indignatio-  
ne abjicere debeamus, avertentes aures  
nostras, ne audiamus sanguinem & sapien-  
tiam, quam revelat caro & sanguis: Parvu-  
los quoque Babylonis, cogitatus scilicet mun-  
danos, ab ipso initio tenentes & allidentes  
ad petram: ipsum etiam malignum cum ten-  
tationibus suis à conspectu cordis nostri ab-  
jicientes, & deducentes ad nihilum. Cum  
autem sathanæ spiritus divino contrarius  
sit, facile ex his, quæ de hoc dicta sunt,  
dignosci posset; est enim, ut ait Plato,  
optimi & pessimi eadem ratio: sed quia  
vaferrimi ac fallacissimi hostis tot sunt*

<sup>b</sup> *Serm. de discret. Spirituum. c In Phadon.*

astutiæ, & stratagemata, quibus nos de-  
cipere & supplantare conatur, ut vix pos-  
sint enumerari, de his per se agendum est,  
ut quantum fieri potest ab omnibus de-  
prehendi, & evitari queant. Gravissi-  
mum sanè hoc onus est, mearumque vi-  
rium mensuram excedens; sed vires ac fi-  
duciam debili & ignaro præbuerunt sancti  
Patres, qui sathanæ astutias non ignoran-  
tes ad ejus laqueos discendos sequen-  
tia nobis documenta reliquerunt.

1. Non semper diabolus apertè aggre-  
ditur hominem aut docens falsum, aut  
instigans ad malum; aliquando enim occul-  
tè insidiatur transfigurans se in Angelum  
lucis, & ad vitium sub specie boni fraudu-  
lenter impellit. Et ipsum quidem agnosce-  
re, cum nos palam aggreditur, non est  
difficile; cuique enim vel imperito ma-  
nifestè se produnt falsæ atque iniquæ  
suggestiones. At ejus detegere impostu-  
ras, cum sub specie boni insidias struit,  
cum vitium pro virtute, malum pro bono  
dolosè ingerit; tunc enim verò difficilli-  
mum est. Multa & luctuosa quorundam  
exempla legimus, qui hoc astu miserrimè  
decepti sunt <sup>d</sup>. Heroni Monacho persua-

<sup>d</sup> *Cass. coll. 2. cap. 5. 7. & 8.*



fit, ut se in puteum præcipitem daret, affirmans eum pro merito virtutum & laborum suorum nulli posse discrimini subiacere. Alium induxit ad filium interficiendum, ut Abrahæ obedientiam æmularetur. Alius quoque ita diabolicis technis delusus est, ut ad Iudaismum & Circumcisionem lapsu miserabili fuerit devolutus. Valentem eremitam crebris apparitionibus tanta inflavit superbia, ut crederet se cum Angelis versari, ipsumque sathanam sub Christi figura adoraverit. His autem malis nullum opportunius remedium, quam quod præscribit Cassianus, & sæpè à nobis repetitum est, ut videlicet *universa non solum que agenda sunt, sed etiam que cogitantur, seniorum reserventur examini, ut nihil quis suo iudicio credens illorum per omnia definitionibus acquiescat, & quid bonum, vel malum debeat iudicare eorum traditione cognoscat. Que institutio non solum per veram discretionis viam recto tramite docebit incedere, verum etiam à cunctis fraudibus & insidiis inimici servabit illesum. Illico namque ut patefacta fuerit cogitatio maligna marcescit, & antequam discretionis iudicium proferatur, serpens teter-*

e Pallad. cap. 31. & Coll. 2. cap. 19.

rimus

*rimus velut è tenebroso ac subtercano specu protractus ad lucem, & traductus quodammodo ac dehonestatus abscedit.*

2. Viros spirituales sic solet sathan à studio virtutis avertere. Persuadet illis ut minima negligant, atque ita paulatim decidant: tum variis occupationibus propriæ vocationi haud consentaneis incautos opprimit, & quasi à seipsis exules sensim ad aliena perducit. Deinde animam undique circuit & perlustrat, ejusque propensiones observat, ut qua parte debilior est, eam oppugnet. Rectè in hanc sententiam Leo Magnus: *Non desinit hostis antiquus deceptionum laqueos ubique pretendere. Novit cui adhibeat astus cupiditatis, cui illecebras gula ingerat, cui apponat incitamenta luxuria, cui infundat virus invidiæ. Novit quem mærore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discuit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus: & ibi causas querit nocendi, ubi quemque viderit studiosius occupari. Sicut hostis, qui civitatem obsidet, minus firmam murorum partem aggreditur; sic ille animam, qua parte debilior est, fraudulètur invadit.*

§ Serm. 7. de Nativitate.

Q

3. Instinctus diaboli initio securitatem affert, in fine diffidentiam divini auxilii & desperationem. Quare oportet dolos ejus initio suggestionis deprehendere, & primis ejus conatibus forti animo resistere, ne socordia nostra audacior factus vincat & expugnet nos. Cum sint autem duo genera hominum bonorum & malorum: bonis ea ingerit quæ molestiam & scrupulos afferant; malis ea quæ desinant in sensuum delectationem. Ad illos asperè & turbulenter ingreditur: ad hos placide, suaviter, & benigne. Ratio autem diversitatis ex diversa animæ dispositione colligitur. Animæ enim sibi contrariæ advenit spiritus cum strepitu, qui facile cognosci potest: ad eam verò, quam sibi conformem reperit, placide accedit, tanquam in propriam & apertam domum. Et hæc quidem initia pravarum suggestionum sunt, in progressu autem etiam iniquos, ad quos blande ingressus est, turbat verus hostis, ac veluti offusa caligine obscurat, neque enim tranquillitas esse potest, ubi Deus non est. Sic Judam proditorem ad Christi venditionem impulit, tum patrato immani flagitio ad extremam salutis desperationem, ac tandem ad restim adegit.

SPIRITUUM CAP. XI. 163  
 Principiis igitur obstandum est, ut docet Augustinus <sup>h</sup>. *Venit tibi in mentem nescio quid illicitum, noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc quod venit in mentem, caput serpentis est, caput calca, & evades cæteros motus. Quid est caput calca? Ipsam suggestionem contemne. Sed lucrum suggestit. Magnum ibi lucrum est, magnum ibi aurum est. Si hanc fraudem feceris, dives eris. Caput serpentis est, calca. Quid est calca? contemne quod suggestit. Sed magnum aurum suggestit. Et quid prodest homini, si univèrsum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Pereat mundi lucrum, ne fiat anime damnum. Hæc dicens observasti caput serpentis & calcasti. Ille autem diabolus calcaneum tuum observat. Quid est, observat calcaneum tuum? Quando labaris à via Dei. Tu observas primam suggestionem, ille observat lapsum tuum. Si enim lapsus fueris, cades: si cecideris, possidebit. Ut autem non cadas, noli exire de via. Angustam tibi semitam stravit Deus, quicquid exira illam est, lubricum est. Propterea lumen est Christus, & via est Christus. Si ab illo recesseris, nec*

<sup>h</sup> In Psal. 103. concilio 4.



164 DE DISCRETIONE

*in lumine eris, nec in via.*

4. De diabolo sermonem habens B. Job sub nomine Leviatan ait, *Halius ejus prunas ardere facit, & flamma de ore ejus egreditur.* Quæ verba Gregorius magnus <sup>k</sup> sic interpretatur. *Toties Leviathan prunas accendit, quoties ejus occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Alias namque superbiæ, alias invidiæ, alias luxuriæ, alias avaritiæ facibus inflammat. Superbia quippe facem menti Evæ supposuit, cum hanc ad contemnenda verba Dominicæ jussionis instigavit. Invidiæ flammæ Cain animum succendit, cum de accepto fratris sacrificio doluit, & per hoc usque ad fratricidii facinus pervenit. Luxuriæ facibus cor Salomonis exussit, quem tanto mulieribus amore subdidit, ut usque ad idolorum venerationem deductus, dum carnis delectationem sequeretur, conditoris reverentia oblivisceretur. Avaritiæ igne Achab animum concremavit, cum eum ad appetendam alienam vineam impatientibus desideriis impulit, & per hoc usque ad reatum homicidii pertraxit. Et flamma de ore ejus egreditur. Flamma oris ejus est ipsa instigatio*

i Job. 41. 12. k Lib. 33. mor. cap. ult.

SPIRITUM CAP. XI. 165

*occulta locutionis: quia ardet in desideriis animus, cum ejus suggestionibus instigatur.* Concludit demum Gregorius, ut qui oris ejus flamma affici non vult, ad orationis opem confugiat. Nam flammam suggestionum illius extinguit citius unda lacrymarum.

5. Diabolus rex superborum, cum Christi hostis & adversarius sit, ad ea semper instigat, quæ Christi exemplis & doctrinæ contraria sunt. Christus enim, ut Gregorius ait <sup>l</sup> per Prophetam dicit, *vita mea inferno appropinquavit m: diabolus dicit, super altra cæli exaltabo solium meum n. Christus o*, cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens: *diabolus ait p. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Christus q ad spina, ad palmas, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens membra sua admonet dicens, si quis mihi ministrat, me sequatur: diabolus vero nihil aliud mentes sibi subditas docet, quam celsitudi-*

l Greg. lib. 34. mor. c. ult. m Psal. 87. n Isa. 14. 13. o Philipp. 2. 6. p Isa. 14. 14. q Ioan. 12. 26.

*nis culmen appetere, cuncta equalia mentis  
tumore transcendere, societatem omnium  
hominum alta elatione transire, ac se  
se & contra potentiam conditoris erigere, sicut de eisdem per psalmistam dicitur, cogitaverunt & locuti sunt nequiti-  
as, iniquitatem in excelsis locuti sunt.*  
Hinc fit ut qui huiusmodi suggestionibus aures præbent, procaces sint & tumidi, socios spernant, reprehensiones ægte ferant, mala sua non videant, curationem respuant, & facillè cum omnibus rixentur.

6. Aliquando fathan aliquem ad virtutem hortatur, sed eum mox importunis suggestionibus adversus illam excitat, multas difficultates objiciens, ut abjecta omni spe ejus consequendæ otio se tradat, suæque saluti diffidat. Sic sæpe evenit B. Catharinæ Bononiensi, cui multoties in forma Christi crucifixi & B. Virginis hostis apparuit, promptam & cæcæ obedientiam valde commendans: tum plurima judicia contra præceptum superioris, variasque tricas & nodos suggerens sub specie majoris boni. Illa autem à spiritu bono hæc esse, verasque visiones credens, in

1 Psalm. 72.

multos errores incidisset, nisi sui diffidentia, & humilitate, suisque cogitationibus superiori semper patefactis, periculum evasisset. Hæc ipsamet de se narrat lib. de septem armis. Hanc diaboli fraudem sic describit Richardus J. Demones interdum mala sub specie boni occultant, & ad quedam bona incitant, ut ad malum perducant. Falsa etiam devotione decipiunt, quia quasdam orationes & meditationes, dulcem affectum & lacrymas in anima producant, ut vel mentem in errorem vel elationem, vel corpus perducant ad debilitatem. Malè quosdam de salute aliorum sollicitant, quos incitant & accendunt ad conversionem, vel edificationem aliorum longè positorum, quatenus à quiete mentis & utilitate propria eos dejiciant. Cum itaque aliquid nobis suggerit agendum, perpendere debemus, utrum aliqua sui parte indiscretio se misceat, vel dolus inimici se ingerat: si cum debito timore & cautela fiat, si humana laus vel ostentatio subrepat, si vanitas vel levitas aliqua impellat.

7. Hunc morem servat spiritus malignus, ut cognitis animæ bonis sanctisque

1 In cantica cap. 17.



desideriis, eis assentiri, piasque cogitationes fovere videatur: sed mox hominem occulte aggreditur, suisque fallaciis miserime decipit; nam sensim venenum infundit, & quem falso lumine imbue- rat, tandem in tenebras horribiles conjicit. Diadochi sententia est: dæmonem interdum lumine quodam falso & appa- renti animam afficere: *qua quidem res, inquit, multos fefellit.* Si quæ enim suavitas ex illo oritur, sensus non excedit, men- temque elevat in superbiam & sui æstima- tionem. Simili modo multa quandoque vera suggerit, ut unum saltem menda- cium, quo decipiat, intermisceat. Hac arte hæretici decepti sunt, & alios dece- perunt, teste Athanasio <sup>1</sup>. *Hæretici, inquit, sicut diabolus ipsorum pater, trans- formationem vultus ad speciem Angelî conformant, eamque verborum indolem præ se ferunt, ut rectum sensum habere vi- deantur, eumque ubi persuaserint, eò mi- seros deducunt, ut diversa & aliena à scripturis sentiant.* Plurimum ergo juvabit ex fine ad quem tendit, pravam ejus sug- gestionem deprehendere. *Nam quando sensus corporis fallit, ut docet Augusti-*

<sup>1</sup> Cap. 36. u. disput. 1. adv. Arianos.

*nus* <sup>x</sup>, *mentem verò non movet à vera rectaque sententia, qua quisque vitam fide- lem gerit, nullum est in religione pericu- lum. Vel cum se bonum fingens ea facit, que bonis Angelis congruunt, etiamsi credatur bonus, non est error Christiana fidei pericu- losus aut morbidus. Cum verò per hac aliena ad sua incipit ducere, tunc eum dignoscere, nec ire post eum, magna & necessaria vigi- lantia est.*

8. Qui spiritu malo aguntur leves sunt, inconstantes, turbidi, inquieti, vehemen- tes, sine maturitate, sine circumspectione. Nullius consilium admittunt, proprium judicium veterum Patrum institutis præ- ponunt, diligunt laudantes se, increpantes odio habent, peccantibus indignantur, eosque corrigunt cum impatientia & con- tumeliis, in rem sibi propositam impetu quodam præcipientes ruunt, & in omnibus seipfos querunt. De propriis defectibus interdum gloriantur quasi à Deo missis ob- custodiam humilitatis; negligentes inte- rim eorum emendationem. Post peccatum vel sibi blandiuntur, quia humanum est peccare: vel sibi irascuntur & miserè con- tabescunt, opem Dei non implorantes.

<sup>x</sup> Enchir. ad Laur. cap. 60.



170 DE DISCRETIONE

9. Videns demon voluntatem servientium Deo fortem esse & constantem in bono, intellectum aggreditur, sublimes cogitationes altosque sensus & curiosos suggerens, ut iis occupati falso existiment se ad apicem perfectionis pervenisse, & in superbiam elati cordis puritatem, atque studium mortificationis negligant, propriaque sapientia velut idolum sibi colendum proponant, in cuius consideratione se suis cogitationibus adeo involvunt, ut aliorum consilia spernant, se illis non indigere iudicantes. Hi difficillime curari possunt, nam si oculus animae caecus est, totus homo tenebrosus erit. Debet itaque si quis sapiens videtur esse, stultus fieri, ut sapiens sit. Et quia diabolus mentem hominis sensim inscit, à minimis incipiens, & ad majora progrediens; solertiter curandum est, ne vel minima rimula illi pateat, per quam ad animam accedere possit.

10. Impugnare non cessat hostis & ad vitia incitare quovis tempore & occasione: sed si pravas suggestiones animo proficientis ingerere nequit, eas saltem quae à Deo sunt depravare conatur inanem gloriam & complacentiam excitando. Sape

SPIRITUUM CAP. XI. 171

etiam commotis humoribus figuras horribiles excitat in imaginatione, & ad turpes actus inspiciendos compellit, sicut legimus contigisse S. Catharinae Senensi, cui fædos hominum mulierumque congressus spectandos objiciebat. Accidit item aliquibus, ut ad execranda blasphemiarum verba ipsis invitis linguam moveret, eosque quodam violento imperu ad desperationem provocaret. Aliquando autem à piis hominibus tentandis diu cessare consuevit, vel majus lucrum sperans ex tepiditate & ignavia, quam intermissa pugnae exercitatione contrahunt: vel ut in otio securos & imparatos facilius aggrediatur & vincat, sicut docet Gregorius Magnus. Sape, inquit, antiquus hostis postquam menti nostra temptationum certamen influxerit: ab ipso suo certamine ad tempus recedit, non ut illata malitia finem prebeat, sed ut corda, quae per quietem securam reddiderit, repente rediens facilius inopinatus irrumpat.

11. Cum callidus hostis animam subvertere alia ratione non potest, eam saltem conatur variis illusionibus decipere, sub specie virtutis & sanctitatis. Nam quia re-

7 Lib. 3. m. r. cap. 16.



172 DE DISCRETIONE

bis spiritualibus honor, commodum, & delectatio annexa sunt, quosdam ita subvertit, ut per gratiae motus quarant quae sua sunt, non quae Jesu Christi. Alios metu laborum eo adducit, ut opera parvi faciant, satis esse dicentes promptum ac paratum animum habere; Deum non opus, sed voluntatem respicere, cum revera vix languidum virtutis desiderium in illis sit. Alios e contrario in exterioribus exercitiis totos occupat, cum levi admodum studio interioris culturae. Quosdam quos nequit a virtutibus avocare, a praecipuis saltem tanquam minus necessariis avertit: vel certe contendit ut in his perfunctorie exercentur. Excitat etiam in aliquibus immoderati ac indiscreti fervoris aestum, ita ut nec consilium requirant, nec ferant: quae perversitas in illis perniciosior est, qui alterius obedientiae, ac directioni subditi sunt. Harum autem illusionum remedium est, singulos motus examinare, num quid lateat fraudis: tum omnes gratiae instinctus in auctorem Deum statim referre, antequam proprii amoris labe inquinentur: sublimes demum elevationes, insolita lumina, intimas suavitates nec

SPIRITUUM CAP. XI. 173

petere nec desiderare, his enim aditus diabolicis fraudibus aperitur.

12. In his, qui Deo servire incipiunt, excitat daemon ardens & indiscretum desiderium omnes ad Deum convertendi, quam tentationem communem esse, multisque causam irreparabilis ruinae & experientia evincit, & docet S. Theresia. Nam cum par esset, ut eadem Magistra monet, eos posthabitae aliorum cura sibi dumtaxat intumbere, & sedulo attendere quomodo oporteat ambulare & placere Deo; ipsi potius aliorum saluti procurandae dant operam: cumque vix possint in via virtutis gressus figere, per difficiles semitas ignariviarum alios ducere audent; eosque in altum tollere, cum vix in imo consistant. Certum quidem est non esse malum errantium conversionem desiderare; sed illi incumbere & insistere potest malum esse, & ut plurimum malum est, nisi magna cautio adhibeatur. Stultus, ait Sapiens, profert totum spiritum suum, sapiens differet & reservat in posterum. Doctrina Bernardi est, nullum ad salutem pietatis gradum illi gradui anteponendum, quem sapiens

2 Vita sua. cap. 23. a Prov. 29. 11. b Serm. 18. in Cant. c Eccl. 30. 24.



174 DE DISCRETIONE

posuit dicens, Miserere animæ tuæ placens Deo, Quod si non habeo, inquit, nisi parumper olei quo ungar, putas tibi debeo dare & remanere inanis? Servo illud mihi, & omnino nisi ad Propheta jussionem non profero. Si institerint rogitantes, respondebitur eis: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis. Et paucis interjectis ait. Caterùm tu frater, cui firma satis propria salus nondum est; cui caritas adhuc aut nulla est, aut adeò tenera atque arundinea, quatenus omni flatu cedit, omni credat spiritui, omni vento circumferatur; tu inquam ita in propriis reipsum sentiens, quamam dementiâ, quæso, aliena curare aut ambis, aut acquiescis? Hæc & alia plura in hanc sententiam sanctus doctor exhortans incipientem, ne festinet effundere nondum plenus, sed expectet donec impleatur, & sic communicet sine suo damno quod sibi superabundat; caritas enim si plena non est, perfecta non est. Alia fraude non minus perniciofa quosdam diabolus decipit, qui vix ingressi viam perfectionis, scientes eos, qui ad apicem pervenerunt, inexplicabili suavitate perfrui, ea illecti repentino ac temerario saltu ad altiora præsumunt ascendere, nondum

SPIRITUUM CAP. XI. 175

eradicatis pravis habitibus, nondum in virtute probati. Aiunt ad intimam cum Deo unionem aspirandum esse, seque omnia peregrisse arbitrantur, cum de rebus sublimioribus grandiloquo sermone differunt, ac si in verbis, non in operibus perfectio sita esset. Quod si repente quidpiam molestum eis accidit, tunc serò cognoscunt, quàm remoti sint à soliditate virtutis, ad quam nondum purgati irrumperè ausi sunt, præscriptos à sanctis Patribus gradus transilientes.

13. Alii jam diu probati in spiritualibus exercitationibus cum caperint gustare quàm dulcis sit Dominus, vanâ sui confidentiâ ac subtilissimâ diaboli illusionem miserimè decepti, se periculis temere exponunt, & cum spiritu caperint, neglecta sensuum custodia, in carnem desinunt, dicentes se omnia in Deo peragere, nec quidquam in rebus nisi Deum respicere, se ad omnia indifferentes esse, se nihil discernere, se divina dispensatione ab omni lege immunes esse: & sic præcípites ruunt in nefandos ac turpissimos errores Adamitarum, Gnosticorum, & Illuminatorum. Atque utinam hoc seculum similibus careret exemplis. Oritur hoc malum ex oc-



176 DE DISCRETIONE

cultra superbia, qua inflati quidam ac velut ebrui ad primum gratiæ sensibilis gustum in sensus impingunt & dilatantur, nec se continent intra limites ab Ecclesia & à legibus præscriptos, ipsaque jura naturæ transgressi, in peccata abominanda labuntur, eò etiam dementiæ diabolica fraude perducti, ut regendis turpissimis flagitiis divinæ revelationis velamen obrendant. Justi autem in spiritu humilitatis ambulantes, ac fidei lumine imbuti intra terminos legis & honestatis se continent, omni custodia servantes cor suum, justaque trutinâ probantes spiritus, utrum ex Deo sint.

14. Non solum diabolus solertissimus & versutissimus humani generis hostis hominum mentes ad malum incitat occultis suggestionibus, sed interdum etiam corpus eorum obsidet, & ingreditur, ac in illis operatur; quos propterea energumenos, arreptitios, demoniacos, sive obsessos, aut possessos à demone nuncupamus. Fit autem energema sive operatio demonis in homine dupliciter, spiritaliter vel corporaliter. Energema spirituale tunc fit, cum mentem & cor hominis diabolus possidet & in illis operatur, ut

SPIRITUUM CAP. XI. 177

cum dicitur in Evangelio intrasse in cor Judæ suggerens illi ut Christum traderet. Corporale autem vel fit extrinsecus per vexationes & molestias, quæ homini forinsecus inferuntur: vel fit intrinsecus, quando hominem invadit, intusque vexat & exagitat. Ut ergo aliquis verè dicatur energumenus sive arreptitius, non satis est ut vexetur extrinsecus sicut Job, & Antonius Abbas, atque alii sancti; sed requiritur ut diabolus sit in illo intime præsens, sicut motor in mobili, & in eo aliquid operetur. Esse autem revera quosdam possessos à demone, præter sacras literas & ecclesiasticam historiam omnium doctorum consensus, ac ipsa experientia evincit. Signa verbò indicantia dæmonem in aliquo habitare ex operationibus desumuntur; substantiæ enim spirituales, ut Theologi docent, in eo loco esse censentur, in quo operantur. Agrestes ac ferini mores, vultus truculentus, clamores & ululatus, stupor membrorum, privatio vitalium operationum, inquietudo, & alia ejusdem generis, sunt signa æquivoca inhabitantis dæmonis, quæ levem tantùm generant suspicionem. Vehementior oritur ex quibusdam insolitis actionibus, ut cum quis in ignem dejicitur,



178 DE DISCRETIONE

vel in aquam : cum laqueo vel præcipitio vitam sibi adinere tentat : cum catenas præduras frangit , aut onera vires excellentia portat : cum blasphemias profert , sacrarumque rerum contactum horret . Signa autem univoca ac ferè certa sunt , cum quis lingua peregrina loquitur , quam nunquam didicit : cum literarum atque artium ignarus legit , scribit , pingit , & ex arte cantat ; aut de rebus altissimis disserit , qui nunquam studuit : cum occulta revelat adeò ignota , ut nulla industria vel ingenio humano sciri possint , sive præterita sint , sive præsentia , sive futura : cum eodem temporis momento quo fiunt , enuntiat quæ facta sunt in remotissimis regionibus : cum iussus recitare symbolum Apostolorum vel petere veniam peccatorum omnino renuit : cum cessante vexatione eorum quæ dixit non recordatur , aut de his interrogatus nescit respondere . Plura de his alii hæc pro meo instituto satis sunt .

15. Quia diabolus carnis & mundi satellitio uti solet , ut suggestionibus suis hominem ad malum impellat , pauca huic Capiti de spiritu carnali & mundano adnectenda sunt . Caro domesticus hostis , quo carere non possumus , semper concu-

SPIRITUUM CAP. XI. 179

piscit adversus spiritum : mundus in quo vivere nos oportet , nos undique obsidet , suisque principiis , quæ ex parte diaboli sunt , nos imbuere non cessat . Caro semper suggerit mollia , mundus vana . Sapientia carnis Deo inimica nihil sapit nisi delicias : prudentia mundi in quærendis divitiis & honoribus incessanter occupatur . Carnis desideria sunt infinita : mundi superbia immensa est . Spiritus carnis cogitationes suggerit de potu , de cibo , de somno , de sensuum voluptatibus : spiritus mundi de arrogantia , de jactantia , de opibus , de ambitione , de dignitatibus . Carnalis spiritus decipit interdum viros spirituales carnalem in eis amorem erga aliquam personam excitans sub specie pietatis & spiritualium institutionum . Hoc visco captæ animæ sanctæ , quæ jam libero volatu per alta caelorum discurrebant , in laqueum perditionis pudendo lapsu ceciderunt , quod sæpè vidimus cum multorum scandalo , & ipsarum deplorabili ruina . Facile autem discernitur carnalis amor , neque enim ignis abscondi potest , lumine qui semper proditur ipse suo . Et primò quidem indicium est carnalis amoris pauca de Deo



180 DE DISCRETIONE

loqui, plura de se, & de mutua dilectio-  
ne: se mutuo laudare, invicem adulari,  
vitia & defectus excusare. Sequitur in  
alterius absentia inquietudo, & ex ea mo-  
lestæ cogitationes, ubi sit, quid agat, quan-  
do veniet, an alteri impendat affectum.  
His accedunt carnis blandiciæ, gestuum  
insolentia, solitarii secessus, occulta col-  
loquia, atque alia ejusdem generis, quæ  
scribere superfluum est. Sanctus verò &  
spiritualis amor nihil horum novit, pud-  
icus est, modestiam fervat, nugas odit,  
oculos continet & manus, angulos non  
quærit, pacem sectatur, arguit quos a-  
mat, orat pro amico, ipsumque in Deo  
diligit sive præsens sive absens sit, & se  
studet in omnibus irreprehensibilem exhi-  
bere. Spiritus verò hujus mundi ex suis  
etiam operibus manifestum se facit: nam  
ut ait Augustinus <sup>a</sup>, *Spiritus hujus mun-  
di facit superbos, spiritus hujus mundi fa-  
cit inflatos, spiritus hujus mundi facit ut  
putet se quisque aliquid esse, cum nihil sit.*

<sup>a</sup> Lib. 16. homil. hom. 14.



SPIRITUUM CAP. XII. 181

CAPUT XII.

*De spiritu humano. Mira ejus diversitas.  
Vnde hæc oriatur. Quam difficilis ipsius  
cognitio. Quibus signis discerni possit.*

I. **H**UMANI spiritus nomine, quo in-  
trinsecus movemur & incitatur,  
illum intelligi, qui à natura nostra peccato  
originali infecta emanat, ex his quæ supra  
diximus <sup>a</sup> satis comprobatum est; ubi  
etiam ostendimus quibus indicis à divino  
& diabolico discerni possit. His ergo po-  
sitis, ea nunc solita brevitate tractanda  
sunt, quæ ad singularem ejus notitiam  
proprie spectant. Illud autem ante omnia  
considerandum, quod hic instinctus ideo  
ad malum semper impellit, quia homo  
per peccatum primi parentis à Deo deser-  
tus & in seipsum relapsus, nisi divina gra-  
tia sublevetur, pravis subjacet concupis-  
centiæ motibus, sicut equus & mulus, qui-  
bus non est intellectus. Humana natura,  
ait Prosper <sup>b</sup> in primi hominis prævarica-  
tione vitiosa, etiam inter beneficia, inter  
præcepta & auxilia Dei, semper in dete-  
riorem est proclivior voluntatem, cui con-

<sup>a</sup> Cap. 3. & 4. <sup>b</sup> Lib. 1. de vocat. genium cap. 6.

182 DE DISCRETIONE

*mitti non est aliud quàm dimitti. Hac itaque voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audiendum, in cupiditatibus ceca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, glorie quàm virtutum avidior, fame quàm conscientia diligentior, & per omnem sui experientiam miserior fruendo his que concupiverit, quàm carendo; nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem: quoniam voluntas mutabilis, que non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni. Sic miserabilem ruinam nostram ille describit prorsus ad mentem Augustini, qui ait: Creatus est primus homo in natura sine vitio: creatus est rectus, non se fecit rectum. Quid se autem ipse fecerit, notum est: cadens à manu figuli fractus est. Regebat enim cum ipse qui fecerat, voluit deserere à quo factus erat: permisit Deus, tanquam dicens: deserat me, & inveniat se, & miseriam suam probet, quia nihil potest sine me. O malum liberum arbitrium sine Deo? Experti sumus quid valeat sine Deo, ideo miseri facti sumus. Nulla est vis eloquentiæ, quæ satis*

*c. Serm. 21. de verbis Apostoli.*

SPIRITUUM CAP. XII. 183  
 valeat hominis lapsi infelicitatem explicare, quàm pronus ad malum sit, quàm inhabilis ad bonum, quot ærumnis expositus, quot morbis oppressus. Sicut veneno infecta potio totum corpus pervadit & inficit; ita magni illius peccati mortiferum virus totum genus humanum infecit, perdidit, destruxit. Inde tracta mortalitas; inde animi corporisque corruptio, inde cæcitas & ignorantia, hinc curæ inutiles, hinc noxiæ cupiditates, hinc lites, discordiæ, & bella; hinc vani timores & insana gaudia, & non minor miseriarum multitudo quàm criminum. Hinc densis tenebris offuscata mens evanescit in cogitationibus suis: voluntas languens ac viribus destituta concupiscentiæ & iniquitati turpissimâ servitute famulatur. Hinc homines quotquot sunt, nisi lamententur & liberentur gratia Christi, infixi in limo profundi oculos avertunt à summo bono, & in amorem sui convertunt, perpetuò effusi in sensuum voluptates, nihilque agentes nisi ut hominibus placeant, & gloriæ serviant. Hoc principium humanorum instinctuum est, ex infecta radice pessimus fructus. Humana quippe natura, ait Grego-



rius <sup>d</sup>, à statu conditionis spontè lapsa i  
& corruptionis sue putredini subdita, dum  
sibi ex semetipsa molestias gignit, hoc est  
jam facta, quod tolerat. Vnde nunc etsi  
ad summa appetenda se erigit, mutabilitatis  
lubrica impulsu protinus ad semetipsam  
cedit; Cogitationis sua gressum figere ni-  
tiitur, sed infirmitatis sue lapsibus enervatur.  
Quæ nimirum mutabilitatis sue onera,  
quia volens experiit, nolens portat.

II. Juvat etiam ad humanorum instin-  
ctuum exactam cognitionem, ut homi-  
num, ita & spirituum ac ingeniorum admi-  
randam varietatem prænoscere; nam sicut  
vultu, ita & mente nemo alteri similis  
est. Uni dedit Dominus quinque talen-  
ta, alii duo, alii unum. Quidam sunt ro-  
busto corpore, sed ingenio difficili & ob-  
tuso: alii prompto subtilique ingenio  
pollent, sed ob continuas infirmitates om-  
nis eorum vis languescit. Quidam soli-  
tudinis & contemplationis amantes, ad  
curam temporalium inepti sunt: alii ad  
actiones & negotia apti, ad contemplatio-  
nem parum idonei reperiuntur. Quidam  
sinceræ & aperti nullis animum involucris  
regunt: alii suos conceptus intus pre-

<sup>d</sup> Lib. 8. mor. cap. 1.

munt,

munt, nec nisi per ambages expromunt.  
Quidam spontaneis officiis, & jucunditate  
ac hilaritate omnium gratiam demeren-  
tur: alii severi & tristes ab omni hominum  
commercio abhorrent. Quidam nobili &  
erecto animo semper aliquid sublime &  
generosum meditantur: alii ad omnem  
sordem projecti nihil se indignum putant,  
dummodo quæ concupiscunt consequan-  
tur. Rursum nonnulli sunt tardioris inge-  
nii, qui nihilominus nativam hebetudi-  
nem industriâ corrigunt. Alii excellentissi-  
mi sunt, Angeli potiùs, quàm homines,  
quorum quælibet secula vix unum, aut  
alterum protulerunt. Nihil est tam ar-  
duum, quod non attingant, nihil tam  
implicatum, quod non evolvant, nihil  
tam difficile, quod non expediant. Constat  
autem experientiâ quod ingenia acutiora  
faciliùs errant, rebusque novandis quàm  
gerendis aptiora sunt, nam semper hæ-  
rent, sibi que fingunt obstacula, quæ nun-  
quam erunt, & importunis subtilitatibus  
omnia turbant. Tutiora verò sunt & ma-  
gis tractabilia, quæ intra mediocritatem  
se continent. Porrò hujus diversitatis  
multæ sunt causæ. Prima est animæ & cor-  
poris mutuus consensus & conspiratio;

Q



186 DE DISCRETIONE

patitur enim anima ab affectionibus corporis, à temperie & conformatione membrorum, ab organorum prava dispositione; corpus verò animi perturbationibus quasi procellis agitur & commovetur. Secunda est diversum cujusque temperamentum, varia scilicet primarum qualitatum combinationes, quæ sunt innumerabiles: mores autem animi sequi corporis temperamentum & Philosophi docent & experientia confirmat. Tertia ex variis perturbationibus oritur, quæ animum captivum trahunt, turbidorumque motuum seminaria sunt. Quarta è cæli terræque natura ducitur, sive ex aëris dispositione, ex qua diversos populorum & gentium mores esse constat: quædam enim nationes naturaliter bellicosa, quædam imbelles sunt: nonnullæ feroces, aliæ mites: quædam ingenia mollia ob cæli clementiam, alia aspera suoque simillima cælo. His accedunt educatio, institutio, ætas, conditio, alimenta, leges majorum, conversatio, & alia ejusdem generis, quæ non solum alios ab aliis, sed singulos à seipsis per intervalla distinguunt. Dignus est qui audiatur hac de re differens Tertullianus:

SPIRITUUM CAP. XII. 187

nus. *Ut frugum seminibus una generis cujusque forma est, processus tamen varii; alia integro stau evadunt, alia etiam meliora respondent, alia degenerant pro conditione cæli & soli, pro ratione operis & cura, pro temporum eventu, pro licentia casuum: ita & animam licebit, semine uniformem, factu multiformem: nam & hic etiam de locis interest. Thebis hebetes & brutos nasci relatum est: Athenis sapiendi dicendique acurissimos. Empedocles causam arguæ indolis & obtusæ in sanguinis qualitate constituit, perfectum ac profectum de doctrina disciplinaque deducit. Tamen vulgata jam res est gentium proprietatum. Comici Phrygas timidos illudunt; Sallustius vanos Mauros & feroces Dalmatas pulsat: mendaces Cretas etiam Apostolus inurit. Fortasse an & de corpore & de valetudine aliquid accedat. Oportet sapientiam impedit, exilitas expedit: paralytis mentem prodigit, phthisis servat. Quanto magis de accidentibus habebuntur, quæ circa corpulentiam & valetiam, vel acunt vel obtundunt. Acunt doctrina, discipline, artes, & experientia, negotia, studia: obtundunt inscitia, igna-*



via, desidia, libidines, inexperientia, otia, vitia. Prout igitur hæ causæ diversimode afficiunt homines, diversus quoque est eorum spiritus, diversi instinctus, diversæ motiones, & naturales impulsus, ut luce clarius constat.

III. Ex his autem colligitur quam difficilis hujus instinctus cognitio. Est enim spiritus hominis veluti abyssus profundissima plena latibus & specubus, nemini pervia nisi Deo, & cui voluerit Deus revelare. Grande profundum est homo, inquit Augustinus f, *cujus capillos tu Domine numeratos habes, & non minuentur in te: & tamen capilli ejus magis numerabiles sunt, quam affectus ejus & motus cordis ejus.* Nullus est hostis homini perniciosior, quam proprius ipsius spiritus. Subdolos, fallax, captiosus est; volubilis, curiosus, quietis impatiens, amantissimus novitatum. Nihil est tam deformè ab imaginatione confictum, quo ille non occupetur; nihil tam absotum & inane, quod non amplectatur. Nunc divino spiritui famulari videtur, nunc diabolico servit; nec diu permanet in eodem statu. Callidissimus cum sit, mirabili sub-

f Lib. 4. Confess. c. 14.

tilitate, ac industria seipsum versat, ut se suaque commoda sub prætextu divinæ gloriæ & perfectionis occultet. Revera tamen procul ab illo Dei gloria est, procul amor perfectionis: nam seipsum in omnibus quaerit, se colit, se diligit, & sanctissima quæque à vero fine abstracta in seipsum tamquam in finem horribili sacrilegio convertit. Quare debet unusquisque cautius sibi & diligentius à seipso quam à diabolo cavere: quia nulla est extra nos potentia, quæ nobis nocere possit, nisi nos ipsi impugnantibus arma, manum, & consensum præbeamus. Multi sunt quidem, qui nos impellunt in ruinam, impellit mundus, impellit diabolus, impellit homo: sed nemo acrius, nemo periculosius quam homo. Quæris quis sit iste homo? Respondet Bernardus s. *Quisque sui. Noli mirari, usque adeo homo impulsor sui est, & suimet precipitator, ut non sit quod ab altero impulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus.* Quis enim, inquit, vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis? *Manus tua consensus tuus: si diabolo suggerente vel seculo suadente quod non oportet, assensum*

g Ser 85. in cam. h 1. Pet. 3. 13.

Q iij



tuum teneris, & non dederis membra tua arma iniquitati, nec permiseris regnare peccatum in tuo mortali corpore: bonum te amulatorem probasti, cui malitia omnino nil nocuit. Impellit diabolus, sed non evertit, siquidem illi tuum negaveris assensum. Iste est qui stantes in paradiso impulit invidus & evertit, sed consentientes, non resistentes. Est & Mundus impulsor, quia in maligno positus est: impellit omnes, sed solos evertit amicos suos, id est consentaneos sibi. Ex quibus satis claret, quam sit homo precipuus impulsor sui, qui suo, sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest. Cuiam horum precipue resistendum? Nempe huic, qui eum molestior, quo interior solus deicere sufficit, cum sine ipso alii possint facere nihil.

IV. Hæc sunt quæ ad notitiam proprii & naturalis instinctus generatim præmittenda fuerunt, nunc ad quædam singularia signa deveniendum est, quibus eisdem malitia & nequitia evidentius innotescat.

1. Nonnulli memores peccatorum suorum, vel acerbissimæ Christi passionis imbre lacrymarum perfusi repente compungi solent, adeo ut etiam in semetipfos

flagellis animadvertant; nonnulli etiam supernæ patriæ felicitatem considerantes subita quadam jucunditate affecti extra se rapiuntur: quæ omnia non Dei spiritus, sed amor sui & propriæ mentis acumen, ac præceps quædam naturæ commotio operatur. Quod facile ex hoc dignoscitur, quia cessante illa commotione impetuque sedato frigidi remanent & aridi, ac in solita vitia relabuntur. Spiritus autem divini motio non est otiosa, sed magna operatur, ubi est. Unde sequitur ex hac parte difficillimam esse spirituum cognitionem, multa enim quæ sunt naturalis instinctus sæpe divino, sæpe etiam diabolico tribuuntur. Debet ergo unusquisque sedulo perscrutari cor suum, ne à proprio spiritu decipiatur, quem spiritum elationis Gregorius vocat. Hoc autem consequi nemo potest, nisi superbiâ e corde expulsa sedem Deo in se præparat sui diffidentia & humilitate. Neque enim receptaculum spiritus Dei quisquam efficitur, ut idem Gregorius ait, nisi spiritu suo primitus evacuetur: nec requiescit spiritus Dei, nisi super humilem & quietum, & timentem sermones Dei.

i Lib. 7. mor. c. 3. k In Psal. ult. psal.

Contingit aliquando ut opus aliquod quis incipiat verè propter Deum, ejusque gloriam & honorem, sed quia natura seipsam semper occulte querit, sensim & non advertens divini beneplaciti in progressu obliviscitur, suumque commodum & delectationem quærit. Quod manifeste vel ex hoc apparet, quia si Deus successum operis infirmitate, vel alio casu impediatur, statim in anima perturbatio, inquietudo, turbidique motus excitantur, adeo ut ægre divinæ voluntati acquiescat. Pauci sunt qui perspectâ omnino habeant malitiam naturalis instinctus in subtilissima & occultissima sui quæstione. Cum enim omne bonum appetitui consonum sit, facile ad nos ipsos incurvamur, adeo ut etiam in intentionibus, quæ rectæ, & divinæ nobis videntur, nos ipsos quæramus: quandoquidem id quod placitum & commodum nobis est, magis allicit & afficit sensus & cor nostrum, idque potius respicimus in cunctis operationibus nostris, quàm quod Dei est. Idem quoque accidit in ipso studio mortificationis, cum præsertim nimis anxium est: nam plerique sensus coercent, affectus cohibent, carnem castigant, ab omni voluptate

tate abstinere, specie quidem virtutis, sed revera ut videantur ab hominibus, vel ut quadam spiritali delectatione perfuantur. Qui gratiæ instinctu movetur, latere cupit: natura se prodit. Nec ipsi quidem ab hoc malo immunes sunt, qui lumine supernaturali abundant, ob frequentes considerationes, quibus ad seipsos insensibiliter convertuntur.

3. Ad orandum, ad bona opera exercenda sicut oportet, certissimum est nos indigere gratia Dei; sed certum quoque est, posse nos sine gratia actus virtutum exercere motivo humano, sive ex proprio amore, aut ex timore servili. Estque in nobis tam exiguum lumen, ut certò distinguere non possimus ex quo principio operemur, divinone an humano, ex charitate an ex cupiditate. Optamus quidem sursum elevare cor nostrum, & ab omni conversione ad nos ipsos emundare; sed hoc ipsum desiderium interdum provenit ex aliquo nostro subtiliori & secretiori emolumento. Possimus enim desiderare ab omni nostro privato amore exui ob alium proprium amorem, possimus propter superbiam amare & optare humilitatem. Fit nimirum in nostris internis actionibus



194 DE DISCRETIONE

circulus imperceptibilis à nobis ad nos ipsos, semperque manet subtilissima quædam nobisque ignota radix philautiæ in corde; ita ut nonnunquam tunc maximè à divini rationibus remoti simus, cum nos illis propiores arbitramur. Eliu Buzites apud Job, à spiritu sancto se incitari credidit ad increpandum ipsum & amicos ejus, cum tamen à solo impetu proprii cordis moveretur. Quare reprehensus à Deo fuit, cujus causam agere videbatur, his verbis: *Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?* Porro huic similes multi sunt, qui credunt se obsequium præstare Deo, cum eorum amor nihil aliud sit, quàm concupiscentia, privatiq; commodi studium.

4. Si homo spiritualis, ut interdum contingit, alicuo sublimi lumine imbuatur, non facillè credendum est ab infusione gratiæ ipsum oriri; potest enim procedere vel ex naturali mentis acumine, vel ex usu meditandi, vel ex nuda rerum supernaturalium speculatione, jejuna & arida manente voluntate, & omni rore gratiæ destituta. Sicut arbor non ex ramis & floribus, sed ex fructibus æstimatur; ita

1 Job. 32. m. Job. 38. 2.

SPIRITUUM CAP. XII. 195

lumen ex operibus pensari debet, si hæc cum illo consentiunt. Tum solerter indagandum, an quidpiam lumini immisceatur obscurum, impertinens, & à principis christianæ perfectionis alienum. Nam ut docet Richardus, *Cum aliquis ad aliquod bonum movetur facillè & cum aliqua cordis levitate, timendum est quod hujusmodi levitas sit à carnalitate, maximè si aliquid ibi annexum sit, quod delectare humanitatem possit.* Item suspecta est cordis alacritas, quando impellitur ad aliquid homo cum quadam vehementia & impatientia dilationis, quia spiritus sanctus modestus est, & tranquillus, & temperati sunt motus ejus. Rarus & difficilis est purus & verus amicitæ amor erga Deum absque ulla sui consideratione. Si possent homines abscondi ab oculis Dei & Mundi, pauci bonum operarentur, pauci abstinerent à malo.

5. Post lapsum turbari, contristari, & quasi desperare se posse proficere, ex occulta superbia, suiq; confidentia procedit. Humilis enim non miratur se libi, novit enim quod sine Deo nihil potest mortalis infirmitas, & ideo gratiæ ejus

n In cant. c. p. 17.



auxilium petens culpam suam corde contrito & tranquillo detestatur, & velocius surgens cursum suum majori fervore prosequitur. Signum quoque est humani spiritus, cum quis ita suis exercitiis, officiis, ministeriis tametsi bonis & sanctis adheret, ut si inde avocetur, & aliis à superioribus applicetur, in querelas & gemitus erumpat, deque sua perfectione actum putet, ac si mediis ad eam requisitis priveretur. Non quia revera ea magis idonea & efficacia ad ejus consecutionem sint, sed quia in his vitioso affectu quiescebat, in his se ipsum eblectabat, privatum suum commodum non Dei gloriam intendens. Amat natura quæ pulchra, bona, & perfecta sunt, sibi que complacet in illis; atque inde fit, ut in rebus, studiis, & operationibus suis, etiam spiritualibus, omnem defectum oderit. Quod si hujusmodi defectus animum cruciat & torquet; evidens est rei pulchræ & bonæ amorem ex natura procedere.

6. Movet humanus spiritus homines dæctos cupidusque scientiarum ad res divinas & supernaturales discendas & investigandas, ut super alios emineant, ut ipsos prædicent, ut curiositati satisfaciant.

Hinc oriuntur verba magnifica, rara, & subtilia à multis prolata & scripta, quorum fructus est pruritus aurium, non salus aut conversio proximorum. Hinc libri Philosophorum stylo sublimi de virtute compositi, utpote spiritu & vita destituti, mentem distrahunt & spargunt per multa phantasmata; nec voluntatem accendere possunt ad pietatem, ad charitatem, ad unionem cum Deo. Sermo enim procedens ex instinctu naturæ, quamvis in se multa bona contineat, fructu tamen exiguus est, similis æri sonanti, & cimbalo tinnienti. Verba autem Dei spiritu animata, licet in se exigua & simplicissima sint, uberes fructus parturiunt. Solet etiam humanus spiritus facile distrahi & effundi ad exteriora, & bonarum cogitationum multitudine ac varietate delectari; atque ita avertitur ab unitate, quæ summopere expetenda & sola necessaria est.

7. Habet humanus instinctus, in his quæ pertinent ad virtutem, comitem individuum prudentiam carnis; atque ideo plerique hominum vitæ mediocritate contenti ad gradum heroicum non aspirant; omnia enim seipsis metiuntur, non po-

## 198 DE DISCRETIONE

tentiâ & efficaciâ divinæ gratiæ : & quia  
 pati, dejici, & contemni timent; divi-  
 tias, honores, corporis incolumitatem,  
 cunctaque bona temporalia impensivis a-  
 mant, atque huc dirigunt quicquid a-  
 gunt, quicquid loquuntur, quicquid me-  
 ditantur. Se videlicet frui optant tan-  
 quam ultimo fine, & se statuentes tan-  
 quam idolum sui intentionem à Deo ad  
 seiplos deflectunt; quibusdam quasi pre-  
 stigiis è sede mentis emoti, ut suis com-  
 modis obsequantur. Sicut charitas non  
 querit quæ sua sunt, ita noxius sui amor  
 semper querit quod suum est. Hic adeo  
 pravæ ac penetrabilis potentiæ est, ut non  
 solum terrenis & temporalibus, sed cœ-  
 lestibus etiam & spiritualibus se immif-  
 ceat, veneno suo inficiens studium oratio-  
 nis, usum sacramentorum, exercitatio-  
 nes virtutum; in quibus homines vel au-  
 ram popularem captant, vel sanctitatis o-  
 pinionem aucupantur, vel lumina à Deo  
 obtinere, mollesque spiritus delicias, at-  
 que animi jucunditatem intendunt. Ad  
 ipsa quoque pœnitentiæ opera permanat  
 hoc virus, nam sæpe post lapsum intime  
 dolet peccator, & vindice pœna carnem  
 castigat, non propter Dei offensam uti

SPIRITUM CAP. XII. 199  
 par esset, sed ob notam infamiæ, vel ob  
 jacturam existimationis, quam apud ho-  
 mines subire formidat: vel quia saltem  
 coram seipso vult innocens apparere: cum  
 autem in rebus caducis nulla requies inve-  
 niatur, tanta est in homine sui amante in-  
 constantia, ut subinde studia & oblecta-  
 menta permutans, nec ipse quidem sciat  
 quid velit, aut quid agat. Nunc in spem  
 temere erigitur, mox labitur in despera-  
 tionem, nunc futili lætitia diffluit, mox  
 mœrore conficitur. Modum scilicet non  
 habet, nec medium tenet, semper in ex-  
 tremis. Similis est navi, quæ vago cursu  
 huc & illuc agitata sæpius ad saxa alliditur,  
 ac tandem miserabili naufragio perit. Ut  
 enim docuit nos Dominus, *Qui amat ani-  
 mam suam perdet eam.* Ad hunc unum  
 perniciosissimum sui amorem dirigenda  
 sunt quæcumque de humano instinctu di-  
 ci possunt, quia ab illo omnis humana  
 motio excitatur: quare ipsi eradicando  
 omnis industria adhibenda, ut sint ho-  
 mines docibiles Deo, atque omnes hu-  
 mani effectus à Dei instinctu ad bonum  
 impellantur.



*De consolationibus, & desolationibus. Quot sint earum genera, que cause. Illarum vicissitudo. Que in illis pericula, que damna cavenda. Quomodo anima graviore desolatione probari & purgari sol'eat.*

I. **V**arios esse spiritus, varias item eorum motiones, ex his quæ hactenus dicta sunt, perspicuum est. Sed quia omnes illorum instinctus vel in gaudium sive consolationem desinunt, vel in tristitiam sive desolationem; doctrinæ ordo postulat, ut de consolationibus & desolationibus hoc Capite agamus. Est autem consolatio, si de Divina loquimur, suavitas quædam & interna jucunditas ac delectatio, quæ animam diversimodè afficiens diversa quoque nomina sortita est. Dicitur enim unctio mystica, gustus sapientiæ, sapor intimus, fervor devotionis gratia reficiens, vinum inebrians, gaudium Spiritus sancti, & prægustatio quædam cælestium deliciarum. Oritur ex speciali Dei munere, ex testimonio bonæ conscientiæ, ex voluptate & tranquillitate animæ in solo Dei beneplacito & amore quiescentis. Di-

SPIRITUUM CAP. XIII. 201  
citur spiritualis, cum sola mente percipitur, non defluens in partem sensitivam; unde sit ut nonnunquam pars inferior arida sit & desolata, dum superior pacatissimâ jucunditate perfruitur. Sensibilis autem nuncupatur, cum solam partem inferiorem afficit. Cum verò à spiritu in sensus, & in corpus redundat, utramque complectitur, sicut scriptum est, *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Quamvis enim plerumque contingat, ut ob mutuam concordiam, qua pars una alteri consentit, gaudia sibi & dolores communicent; fieri tamen potest, ut ex una in alteram parum vel nihil effluat: sicut Christus in passione omni consolatione partis inferioris destitutus fuit. Sicut etiam æger amarum pharmacum hausturus, appetitu quidem inferiori horret, atque ipsum sumere nollit; quia tamen in eo agnoscit latens valetudinis bonum, non solum illud vult, sed e iam gustat, & in ipso delectatur. Hac autem delectatione, quam quidam substantialem, Augustinus victricem vocat, perfusa voluntas inferiorem appetitum etiam reluctantem ad bonum trahit. De hac scribens Dionysius Cartusia-



202 DE DISCRETIONE  
 nus<sup>a</sup> eam non semper esse sensu perceptibilem asserit, sed est, inquit, verum & spirituale gaudium, seu complacencia voluntatis, qua in rebus spiritualibus atque in bonis operibus non aliter quam in centro quiescit. Eamdem sic describit Bernardus<sup>b</sup>: Quid aliud est haec consolatio, quam procedens de spe venia gratia devotionis, & suavissima delectatio boni, & gustus sapientia licet exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam? sed gustus ille nihil aliud est, quam irritamentum desiderii, & incentivum amoris, sicut scriptum est<sup>c</sup>, Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient. Richardus<sup>d</sup> item à S. Victore de ea sic loquitur. Absque dubio amor Dei quanto plenius omnem alium affectum vincit, tanto uberius animum internam jucunditate reficit. Sub hoc itaque statu mens fugit mel de petra, oleumque de saxo durissimo: sub hoc statu stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lac & mel: sub hoc statu animam esurientem & sitientem saepe Dominus visitat, saepe internam suavitatem satiat, spiri-

a Lib. 1. de contempl. art. 12. b Ser. 1. de omnibus Sanctis. c Eccl. 24. 29 d De grad. viol. charitatis.

SPIRITUUM CAP. XIII. 203  
 tusque sui dulcedine inebriat.

II. Triplex igitur est consolatio, vel enim in solo sensu, vel in sola mente, vel in utroque percipitur. Primum genus aliquando à Deo, aliquando à demone, vel à natura procedit: ab effectibus autem ejus origo discernitur. Cum à Deo est, mentem illustrat, patientiam corroborat, fiduciam erigit, voluntatem accendit, evagationem excludit, sensus reficit, & à rebus terrenis avellit, ac tandem desinit in veram & solidam secundi vel tertii generis consolationem. Haec gratia, ait Cassianus<sup>e</sup>, nonnunquam negligentes ac resolutos inspiratione sancta, & abundantia spiritualium cogitationum visitare non renuit, sed inspirat indignos, exsuscitat dormientes, & illuminat obsessos ignorantia caecitate, clementerque nos arguit atque castigat, infundens se cordibus nostris, ut vel sic de inertia somno compunctione ipsius instigati consurgere provocemur. Hi nimirum sunt effectus gratiae sensibilis, cum à Deo immittitur, quos etiam sic describit Richardus<sup>f</sup>: Visitatione gratiae consolatur Deus pusillanimitatem nostram, juvat infirmitatem, excitat voluntatem. Et s

e Coll. 4. cap. 5. f In cant. cap. 6. g Ibid.



204 DE DISCRETIONE

quid mirum si infirmus ungetur gratia, cum etiam malus confiteatur Domino, cum benefecerit ei? Hujus ergo dulcis affectus causa est interdum non gratie copia, sed mentis inopia. Quae vero à daemone provenit, tenebras, & caliginem ingerit menti, facitque hominem superbum, pervicacem, impatientem, indocilem, ac tandem in carnis illecebras impellit: nihil enim jucundi nobis obijcit callidus hostis, nisi ut venenum melle illitum incautis propinet. Ejus dolos his verbis detegit Richardus: *Fit aliquoties affectus iste dulcis à malo spiritu, ut dum nimis ei creditur, eique dum valde delectat inhaeretur, ad debilitatem cordis homo perducatur. Item ut per illius occupationem ab utiliori opere revocetur: & ut ejus abundantia fretus se perfectum credat, & ad profectum minus exerceatur.* Natura autem, cum in omnibus sua commoda quarat, se semper pro fine habet, & in se ipsa quiescit. Ideo tutissimum est hanc sensibilem consolationem nunquam desiderare, nam vita Christiani est bene facere, & male pati. Saepe etiam decipimur eam à Deo esse existimantes, cum à natura vel à daemone sit. O quam frequenter, exclamat

SPIRITUUM CAP. XIII. 205

idem Richardus <sup>b</sup>, *imperfecti & ignari gratia moventur carnali gaudio, vel naturali alacritate, & moveri se arbitrantur spirituali consolatione? Undecumque vero procedat, non debet homo è nihilo suo exire, neque ei adherere, sed soli Deo, ut semper ei vertatur in bonum. Secundum genus non nisi à Deo esse potest, qui solus humanae menti illabitur: ejus autem derivatio ad partem inferiorem, tametsi naturaliter fieri possit, divinae tamen largitati ut plurimum tribuitur, quae nostram imbecillitatem dulcedine illa allicit & confortat. Tunc vero à Deo esse evidens erit, si illa praesente non extollimur, illa abeunte non affligimur; sed cum humilitate & gratiarum actione eadem utimur tanquam conditura, qua inferior appetitus ad solidum cibum edendum excitetur. Primum genus incipientium, reliqua proficientium & perfectorum sunt. Consolatio perfecta quasi caelum serenum nulla nube obductum, nullo vento perturbatum, ea pace & tranquillitate animam replet, quam mundus dare non potest. Pignus est felicitatis aeternae mentem à sensibus abstractam in*

<sup>b</sup> In cant. p. 23.



Deum transferens, omni gaudio terreno procul expulsio. Non enim datur caelestis consolatio admittentibus alienam, nec simul esse possunt deliciae spirituales cum gaudio iniquitatis & vanitatis. Praeclare Hugo in Miscellaneis: *Spiritus diaboli operatur gaudium iniquitatis, & Spiritus mundi operatur gaudium vanitatis. Et sunt mala gaudia ista, quoniam alterum culpam habet, alterum occasionem culpae. Venit autem Spiritus Dei, cum ejecti fuerint spiritus mali, & intrat habitaculum cordis, operatur gaudium suum, gaudium veritatis contra gaudium iniquitatis, gaudium felicitatis contra gaudium vanitatis. Et expellunt bona gaudia gaudia mala. Et cum ipsa cor implere coeperint, tunc primum agnoscit homo, quod prima vera non fuerunt: quoniam nec plena esse potuerunt in gaudio iniquitatis, nec permanentia in gaudio vanitatis.*

III. Consolatio sensibilis, cum non provenit a substantiali, imperitur a Deo incipientibus & imperfectis, ut illos ad serviendum sibi hac quasi mercede alliciat, & ab amore seculi abducat: sunt enim velut infantes, quibus lacte opus est, non

i Lib. 1. tit. 103.

esca; donec adolescant. Quia tamen ex se minimi momenti est nec ullam gignit aut denotat sanctitatem, pericula ingentia in ejus usu occurrere solent. Nam quidam ea abutuntur ad inanem fiduciam, ad jactantiam, ad externam ostentationem. In quo plurimi falluntur, ut docet Guillelmus. Abbas verus auctor libelli ad Fratres de monte Dei inter opera Bernardi, qui cum pascentur pane filiorum, iam se esse filios arbitrantur, & deficientes unde proficere debebant, ex visitatione gratiae evanescent à conscientia sua, arbitantes se aliquid esse, cum nihil sint. Pascentur enim à Patre Deo aliquando de pretiosiore gratiae substantia servi, ut affectent esse filii: ipsi vero gratia Dei abutentes efficiuntur inimici. In eandem sententiam sic disserit Taulerus: *Effectus amoris quandoque magnum aliquid esse videtur, ut est jubilatio, devotio, & alia hujusmodi; sed non semper potiora, melioraque sunt, cum & sine verâ possint charitate subsistere, & natura saepe hujusmodi saporem ac dulcedinem ministrare soleat: vel etiam Deo permittente malignus spiritus ea in homine excitare queat, ut aliquo ille in pretio ab aliis habeatur. Falsam quoque con-*

i Cap. 14. k Infit c. 18.



## 208 DE DISCRETIONE

solationem in aliqua pia exercitatione interdum inicit dæmon, ut in recitandis precibus, in visitandis ecclesiis, in legendis spiritualibus libris, ut ea sanctitatis fictitia imaginē tepidi homines decepti oblatranti conscientiæ satisficiant, & quasi jam securi obdormiant in peccatis. *Ne mirandum*, inquit *Ælredus*: Abbas, *hanc gratiam reprobis & electis plerumque esse communem, cum excellentiora illa charismata, sermo videlicet scientiæ, prophetiæ, generalium linguarum, gratia miraculorum, etiam reprobis noverimus esse imperita. Nam & Saul inter Prophetas, & inter Apostolos Judas, & infra m. Nemo ergo secundum primum illud visitationis genus suam metiatur sanctitatem, quod & reprobis nonnunquam accidere manifestum est. Richardus<sup>2</sup> etiam de hac re scribit: Dulcis in Deum affectus quodammodo carnalis est & fallax, & humanitatis interdum potius quam gratiæ, cordis quam spiritus, sensualitatis quam rationis. Alii hac ubertate sensibilis consolationis repleti adeo indiscretè se gerunt, ut nimium indulgentes affectui, vel seipfos ultra vires externis pœnitentiæ operibus excruciantes, salutem corporalem plurimum*

<sup>1</sup> Lib. 2. speculi charit. c. 9. m. Cap. 10. n. In cant. c. 6. noceant.

## SPIRITUUM CAP. XIII. 209

noceant. Alii æstu illo perciti multa temere statuunt, & ad ea vota se obligant, quibus postea natura succumbit, & illo impetu sedato omnino servari non possunt. Hi modum non habent, nec affluentia gratiæ uti sciunt, putantes sibi licere quicquid vehementem & immoderata devotio suggerit. Seraphicus doctor<sup>o</sup> optimum istis consilium præbet ut se interdum ab hujusmodi vehementia subtrahant, nec se totos illi immergant; sicut scriptum est, *Mel invenisti, comede quantum sufficit. Vitium enim est*, ait ille, *ad horam habere temperantius gratiam devotionis, quam omnino exhaustis viribus & destructa virtute naturali totaliter eam perdere, & irrecuperabiliter ea carere: quia sic destructi postea nimis incipiunt sibi meti compati, & ut recuperent vires amissas per indiscretionem, non solum delicatius, sed etiam dissolutius se habere. Sunt etiam aliæ sensibiles oblectationes, quas aliquando imperfectis largitur Deus, quales sunt, teste eodem Bonaventura<sup>2</sup>, *mirabilis fragrantia odoris, ineffabilis suavitas saporis, & hymnidica melodia vocum & sonorum, & tactu perceptibiles experientia indicibilium suavitatum, quæ cum vere**

<sup>o</sup> De proc. Relig. pro. 7. c. 21. p. Præv. 15. c. 9. lib. 2. c. 20.



110 DE DISCRETIONE

sunt & à Deo, possumus existimare, quod aut dentur quibusdam novis & rudibus qui spiritualia nondum intelligunt, ut saltem per sensibilia consolentur in Domino, qui veritatem purè spiritualium non cognoscunt: aut quod ideo dentur etiam perfectioribus propter redundantiam interioris dulcedinis, ut sicut anima communicat corpori suo, quasi comiti & socio via, passiones suas, ita & communicet consolationes. Magnam tamen cautelam in his percipiendis adhibendam esse docet idem sanctus, quia multi seducuntur in eis, putantes esse à Deo, quod forè est phantastica deceptio, & aliqui putant esse aliquid magni, quod in se nullius est meriti. Et aliqui extolluntur de talibus apud se, & jactant se quasi de singulari gratia sanctitatis. Illi verò, qui carnalibus delectationibus assueti & nondum bene purgati sunt, sollicitè cavere debent, ne abundantia cœlitus immixtæ consolationis ad corpus emanans in carnalem delectationem, ad quam propensi sunt, turpiter desinat: quod nonnunquam incipientibus, Deo permitte, contingere & Bonaventura testatur, & experientia demonstrat. Cæterum spirituales consolationes, quæ in sola men-

x Ibid. c. 18.

SPIRITUUM CAP. XIII. 211

te percipiuntur, solidiores sunt, & jam aultæ virtutis comites, atque charitati dant incrementum. Has viri sancti, cum defunt, non optant; cum adsunt, diligentissimè custodiunt; cum auferuntur, patienter ferunt, Deum solum, non ejus dona quærentes, semperque parati illis carere. Docet Bernardus nihil efficacius esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inveniamur non altum sapere, sed timere. Time, inquit, cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuò revertetur. Cum adest, timendum ne non dignè operemur ex ea; cum recesserit multò magis timendum, quia ubi deficit nobis gratia, & nos deficimus, quia reliquit nos custodia nostra.

IV. Ideo ille beatus dicitur, qui semper est pavidus: multæ siquidem sunt vicissitudines rerum, multa mentis humanæ instabilitas, multiplex divinæ providentiæ operatio. Sereno diei nox turbida succedit, & post maximam ubertatem rerum omnium egestas subsequitur. Sepe vertitur cithara in luctum, gaudium in metum; & vix gustata primoribus labiis di-

§ In Cant. 8. 17. c. Prov. 28. 14.



212 DE DISCRETIONE

vina dulcedo in amaritudinem amarissimam commutatur. Sic " transeunt suis spatiis uniuersa sub caelo, & qui dixerat in abundantia sua, Non movebor in aeternum; mox cum gemitu ait x, Avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus. Ex quo discimus neminem securum esse in die virtutis suae ac propterea necessarium esse ad Deum iugiter clamare y cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Optimè Bernardus z de plenitudine sua verbum bonum eructans: Spiritus venit & vadit prout vult, & nemo facile scit unde veniat, aut quò vadat. At istud sine damno fortasse salutis nescire licet. Ceterum quando veniat, vel quando vadat, id plane periculosissime ignoratur. Cum enim hæc spiritus sancti circa nos dispensatoria vicissitudines vigilantissime observantur, sit ut nec absentem desideres, nec presentem glorifices. Nempe cui idcirco recedit, ut avidius requiratur: quonam modo si abesse nescitur, requiritur? Et rursus qui dignanter ad hoc recedit ut consoletur: qualiter digne pro sua maiestate suscipitur, si nec adesse sentitur? Mens ergo qua ignorat accessum, patet seductioni: & qua reditum

u. Ecl. 3. 1. x. Psal. 29. y. Psal. 70. z. Ser. 17. in Cant.

SPIRITUUM CAP. XIII. 213

observat, erit ingrata visitationi. Vigilandum proinde omni hora, quia nescimus qua hora spiritus venturus sit, seu iterum abiturus. It & redit spiritus, & has alternare vices non cessat in his, qui spirituales sunt, vel quos potius spirituales proinde ipse creare intendit visitans diluculo, & subito probans. Harum autem vicissitudinum in spiritualibus hominibus hic ordo est, teste Gregorio a. In inchoatione inveniunt blandimenta dulcedinis, in medio certamina tentationis, ad extremum perfectionem plenitudinis. Prius dulcia suscipiunt que consoletur, postmodum amara que exerceant, & tunc demum suavia atque sublimia que confirment. Idem alibi b. Omnipotens Deus, quos in aeternum diligit, aliquando ad tempus relinquit. Vnde scriptum est, c. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui. Sanctos etenim suos Dominus veniendo adjuvat, relinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat. Iterum Bernardus d. de Verbi visitationibus sermonem habens, subito,

a. Lib. 24. ser. c. 7. b. Lib. 20. ser. c. 19. c. Isaie 54. 7. d. Ser. 32 in Cant.

ait, dum teneri putatur, elabitur: & rursum lacrymanti & insectanti occurrens comprehendi patitur, sed minime retineri, dum subito iterum quasi è manibus evolat. Et si institerit precibus & fletibus devota anima, denuo revertetur, & voluntate labiorum ejus non fraudabit eam; sed rursus mox disparebit, & non videbitur; nisi iterum toto desiderio requiratur. Ita ergo & in hoc corpore potest esse de presentia sponsi frequens letitia, sed non copia: quia & visitatio letificat, sed molestat vicissitudo. Sic prævenit Deus incipientes in benedictionibus dulcedinis, quibus deinde suavia subtrahit, ut ablactatos à deliciis ad solidiora & perfectiora per varias amaritudines & afflictiones perducatur. Hæc autem omnia dura & amara, quæ Deo agente vel permitte patitur fidelis anima, desolationes nuncupari solent, quarum notitia, licet ex his quæ de consolationibus dicta sunt, haberi possit; majoris tamen claritatis gratiâ de illis seorsum agendum est.

V. Et primò quidem observandum est duplicem esse desolationem, sensibilem unam, alteram substantialem: illa manet in sola parte inferiori, hæc ita afficit sensus, ut etiam in voluntatem tristitiam de-

rivet, eamque frangat & dejiciat, ut non nisi ægrè & cum maxima difficultate spirituales exercitationes aggrediatur. Illa nihil aliud est quàm tædium, angor, & ægritudo partis inferioris nullum ex rebus spiritualibus gaudium sive consolationem sensibilem percipientis: hæc mentis obtenebratio, & voluntatis ægritudo est adeo terribiliter excrucians animam, ut pœnis inferni similis esse videatur. Quæ sensibilis tantum est, & à Deo, & à dæmone esse potest: à quo autem sit, effectus ostendunt. Potest etiam à natura provenire, quæ cum seipsam in omnibus quærat, deficiente solatio contristatur, & ab operibus sanctis abhorret, fucata gaudia quærens in creaturis. Cum à Dæmone procedit, fit homo impatiens, tepidus, inconstans, plenus diffidentia & desperatione. Cum audit mentionem fieri crucis, patientiæ, humilitatis, tædium & horrorem ostendit, & à proposito virtutis resiliens ad insana mundi carnisque solatia convertitur. Cum autem à Deo est, ad creaturas non divertit, nec ullam in illis reperit consolationem: nullam obscuritatem, nullum virtutis horrorem sentit: sed fixus in Deo manens in piis exercitationibus

perseverat : & quo gravior est sensibilis desolatio, eo magis in illo crescit substantialis consolatio, atque amplius lætatur, quod Deo seruiat propter ipsum solum, nulla existente in sensibus suavitate, & nullo sibi proposito gaudio, nisi æterno. Sicut agrotus, cui cibus omnis fastidiosus est, si crederet stomacho ad cuiuscunque rei comestibilis aspectum nauseanti, nullum prorsus alimentum sumeret; nisi optimè nosset neminem sine cibo vivere posse, ac propterea seipsum impellit ad comedendum, non obstante appetitus repugnantiā : ita desolatus spiritualibus exercitiis, licet cum tristitia & difficultate, incumbit; non sensibili dulcedine illectus, sed eorum necessitate convictus.

VI. Observandum secundò est sensibilem desolationem, cum sola est & mentem non afficit, à viris probis & spiritualibus facile tolerari, cum præsertim experiētiā didicerint auferri quidem ad tempus sensibile gaudium, sed cumulatiùs restitui, cum quis ejus subtractionem excelsò animo ferens divino beneplacito generosè acquiescit. Hujus vicissitudinis multæ sunt causæ, nam Deus homini consolationem largitur ne deficiat; desolationem, ne superbiat :

superbiat : illa excitat spem, hæc audaciam reprimit : illa erigit pusillanimitatem, hæc parit humilitatem. Sive autem accedat, sive recedat gratiæ dulcedo, diligenti Deum cooperatur in bonum. Tribuit eam cui vult, & quando vult, eamque subtrahit tempore opportuno, ne magnitudo consolationis extollat, ne quasi jure hæreditario possideatur; ut sciat hoc donum non esse volentis neque currentis, sed Dei miserentis; ut profundius seipsum cognoscat, ut propriam fragilitatem vereatur, ut semper humiliter perseveret; ut habitam gratiam diligentius custodiat, & amissam ardentius quærat; ut aliorum afflictionibus compati discat, ut patientiæ exhibitione pro peccatis satisfaciat, ne caro deficiat, quæ dulcedinem spiritus diu sustinere non posset; ut nimia affectio ad Dei dona tollatur, ut gratis seruiat Deo, nec sit veluti *amicus socius mensæ, qui non permanebit in die tribulationis*; ut probetur virtus, sicut scriptum est; *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te*; ut ex momentanea hujus vitæ desolatione conjiciat, quàm malum & amarum futu-

<sup>c</sup> *Ecl. 6. 10. f. Tob. 12. 13.*



rum sit à facie Dei in æternum separari. Præcipua autem hujus subtractionis causa, si Bernardo credimus, superbia est, Non sine causa, inquit &, invasit me languor iste animi & mentis hebetudo, insolita quedam inertia spiritus. Currebam bene: sed ecce lapis offensionis in via, impegi & corruï: superbia inventa est in me, & Dominus declinavit in ira à servo suo. Hinc ista sterilitas anime meæ, & devotionis inopia quam patior. Quomodo ita exarruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua? Nec compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Vbi illa inebriatio spiritus? Vbi mentis serenitas, & pax & gaudium in spiritu sancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigiliis somnolentus, ad iram proceps, ad odium pertinax, lingue & gula indulgentior, segnior obtusiorque ad prædicationem. Heu! omnes montes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Et post pauca hanc subtractionem superbiæ omnino adscribendam esse sic concludit, Nec dubites in causa esse superbiam,

& Serm. 54. in Cant.

etiam si non appareat, etiam si nihil tibi conscius sis; quod enim tu nescis, scit Deus, & qui te judicat ipse est. Numquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? Ergo argumentum superbiæ, privatio est gratiæ. Quanquam tamen interdum subtrahitur gratia, sive retrahitur, non pro superbia qua jam est, sed que futura est, nisi subtrahatur. Habes hujus rei evidens documentum de Apostolo, qui stimulos carnis sue sustinebat invitus, non quia extolleretur, sed ne extolleretur. Sed sive jam existens, sive nondum; superbia tamen semper causa erit subtractæ gratiæ. Non excludit alias causas Bernardus, sed hæc potissima est, cui probatio & purgatio animæ ab omni adhæsiōe ad se suaque commoda proximè accedit, ut ab omnibus delicijs etiam spiritualibus avulsa, ad intimam cum Deo unionem disponatur.

VII. Perficitur hæc purgatio miris & acerbissimis modis; nam in parte inferiori privatur homo omni sensibili dulcedine, lacrymæ devotionis arefcunt, fontes gratiarum exsiccantur. Vertitur æstas in hiemem, & qui potabatur fonte voluptatis, repletur amaritudine, dicens cum Tobia

h Tob. 5. 12.



DE DISCRETIONE

Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris se-  
deo, & lumen cœli non video? & cum  
Isaia *Aruit herba, defecit germen, vi-  
ror omnis interit.* Quandoque etiam ter-  
renis facultatibus spoliatur, deseritur ab  
amicis, traducitur per ora omnium tan-  
quam illusus, despicitur tanquam insanus,  
vita moresque ejus ubique infamantur,  
gravibus morbis corripitur, à demōnibus  
vexatur, & quocunque se vertit, nihil ei  
occurrit, nisi afflictiones, irrisiones, per-  
secutiones, & plurima mortis imago. In  
parte verò superiori densissima caligine  
mens obscuratur, languet voluntas nus-  
quam inveniēns consolationem, nec in  
Deo, nec in creaturis: omnis estus a-  
moris refrigerat, & quod gravissimum  
est, tot tentationibus premitur, ut sibi sæ-  
pius videatur diffidentia, blasphemias, ac  
desperationi consensum præbuisse. Hoc  
horribile tormentum pœnis inferni assimi-  
lant, qui experti sunt; ejus autem mirabi-  
le exemplum habemus in vita B. An-  
gelæ de Fulgineo, quæ maluisset omne ge-  
nus martyrii subire, quam talem desola-  
tionem pati, ut ipsa describit. Simi-  
li modo probata fuit per totum quinquen-

i Isa. 15. 6. & Vita c. 2.

SPIRITUUM CAP. XIII. 211

nium in camino tribulationis S. Magdale-  
na de Pazis, arida, desolata, ab omnibus  
derelicta, à demōnibus flagellata, blas-  
phemia tentationibus vexata, ac usu ra-  
tionis ferè destituta. Alia exempla præter-  
mitto, & ad remedia accedo, quorum pri-  
mum est causam desolationis accuratè in-  
vestigare; nam si procedit ex culpa & ne-  
gligentia nostra, ea deleri per pœnitentiam,  
& emendari debet. Si ex diaboli impu-  
gnatione, illi obsistendum est. Si ex divi-  
na dispositione, fortiter ferenda ejus a-  
nimadversio, & patienter expectandum,  
donec discutiat caliginem, & suam iterum  
infundat suavitatem. Deinde fateri oportet,  
quod nemo ex se aliquid habet, præter  
vitia & defectus: atque ideo bonum est  
prætolari cum patientia salutare Dei: nec  
deserendum aut minuendum est orationis  
studium, sed potius augendum exemplo  
Christi, qui factus in agonia prolixius ora-  
bat. Sicut autem ille non petiit à Patre  
ut à cruce liberaretur, sed ut fieret volun-  
tas ejus: ita nos in omni pressura divino  
beneplacito nos offerre & subdere debe-  
mus, eique gratias agere, dicentes cum S.  
Job *Dominus dedit, Dominus abstulit,*

i Job 1. 21.



## 222 DE DISCRETIONE

sicut Domino placuit ita factum est, sit no-  
men Domini benedictum. Tum cogitan-  
dum est à Deo immitti vel permitti desola-  
tiones ad illud ipsum emolumentum, pro-  
pter quod vir probus consolationes expe-  
tit, ad mentis scilicet illustrationem, ad  
ampliorem rerum divinarum cognitionem,  
ad humilitatem, ad fortitudinem, & ad ar-  
dentissimam charitatem consequendam.  
Neque omittendæ tempore desolationis  
consuetæ exercitationes; neque mutan-  
da quæ alio tempore constituta sunt: non  
enim potest sibi bene consulere animus  
æger. Nobis denique persuasissimum esse  
debet, desolationes munera singularia di-  
vinæ providentiæ, experimenta solidæ  
virtutis, & maximi erga nos amoris indi-  
cia esse, quæ non nisi per fidem percipi pos-  
sunt. Ideo in omni tribulatione vitam  
pacatam & quietam degere & conservare  
par est, *Iustus enim ex fide vivit*, ut ait  
Propheta <sup>m</sup>, & confirmat Apostolus <sup>n</sup>,  
vivit nimirum vita spiritali quæ ex prin-  
cipiis fidei nata, iisdem regitur & roborat-  
tur. Fides autem docet probari justos af-  
flictionibus sicut aurum in fornace, mo-  
mentaneum hoc & leve tribulationis no-

<sup>m</sup> Habac. 2. 4.    <sup>n</sup> Rom. 1. 17.

## SPIRITUUM CAP. XIII. 223

stræ æternæ gloriæ pondus in nobis ope-  
rari, Deum nobiscum esse in omni angu-  
stia, ejus nutu cuncta disponi, tristitiam  
tandem in gaudium mutari, sicut dicit  
Psalmus <sup>o</sup>, *Cum ipso sum in tribulatione,  
eripiam eum & glorificabo eum, & osten-  
dam illi salutare meum.* Quæ verba ex-  
ponens Bernardus sic loquitur <sup>p</sup>. *Cum  
ipso sum in tribulatione, ait Deus: & ego  
aliud interim requiram quàm tribulatio-  
nem? Mihi adherere Deo bonum est, non  
solum autem: sed & ponere in Domino  
spem meam: quia eripiam eum, inquit,  
& glorificabo eum. Bonum mihi Domine  
tribulari, dummodo ipse sis mecum, quàm  
regnare sine te, epulari sine te, sine te glo-  
riari. Bonum mihi Domine in tribulatio-  
ne magis amplecti te, in camino habere te  
mecum, quàm esse sine te vel in cælo.*

<sup>o</sup> Psal. 90.    <sup>p</sup> Serm. 17. in hunc psal.





224 DE DISCRETIONE  
CAPUT XIV.

*De Ecstasi & Raptu. Quid & quatuorplex sit Ecstasis. Quæ ejus causa, qui effectus. In quo differat à raptu. Quibus signis Ecstases & raptus divini à naturalibus & demoniacis discernantur.*

I. **D**E triplici instinctu divino, diabolico, & humano hæctenus, sicut potui, disserui, asserendo quæ certa sunt, de incertis dubitando: reliquum est ut de veris ac divinis revelationibus à falsis & diabolicis discernendis consequenter agam; quæ tractatio difficillima est, propter varias diaboli fraudes & illusiones. Quia verò ut plurimum nihil homini revelatur, nisi prius raptus fuerit, & visio sive apparitio aliqua præcesserit; ideo prius de Ecstasi & Raptu, deinde de visionibus & apparitionibus, demum de revelationibus tractabo ea breviter attingens, quæ ad meum propositum pertinent, curiosis & superfluis quæstionibus prætermittis. Ecstasis idem est ac mentis excessus, quando sensus externi ita sunt impediti, ut non solum non operentur, sed nec operari possint, aut ab objectis

SPIRITUUM CAP. XIV. 225  
exterioribus excitari. Augustinus describens ecstasim ait <sup>a</sup>, *Ecstasis est mentis alienatio à sensibus corporis. Et alio modo <sup>b</sup>. Ecstasis est mentis excessus, quod aliquando pavore contingit, nonnunquam verò per aliquam revelationem, & alienationem à sensibus corporis, ut spiritu quod demonstrandum est demonstretur. Cum enim sensus impediunt mentem, nec divina percipiat, ideo ecstasis necessaria est, ut occulta sapientiæ suæ manifestet homini Deus, & mirabilia sua in eo operentur. Seraphicus Doctor hanc Ecstasis definitionem laudat <sup>c</sup>: *Ecstasis est deserto exteriori homine sui ipsius supra se voluptuosa quedam elevatio ad superintellectualem divini amoris fontem.* In ecstasi enim supernaturali, de qua nobis præcipue sermo, rapitur anima extra sensus ad amandum Deum, vel ad ipsum audiendum cessante strepitu & inquietudine sensuum & creaturarum. Mystici verò magis proprie ecstasim esse dicunt elevationem mentis in Deum cum abstractione à sensibus exterioribus ex magnitudine ipsius elevationis procedentem. Anima siquidem, cum sit*

<sup>a</sup> Lib. 2. ad Simplic. 9. 1. <sup>b</sup> In Psal. 67. <sup>c</sup> De gradibus contempl.

## 226 DE DISCRETIONE

virtutis finitæ, quanto intensius & efficacius actui unius potentia attendit, tanto magis in actibus aliarum remittitur; & quo magis elevatur, eo amplius retrahitur, ita ut aliquando omni sensuum usu destituatur, nec presentia cernens, nec voces loquentium percipiens, cum videlicet divinis rebus inspiciendis ac diligendis, Deo illam trahente & illuminante, magna intentione incumbit. Sola potentia vegetativa, ut docet S. Thomas <sup>d</sup>, ab actibus suis in ecstasi non cessat, quia per modum naturæ solis actibus primarum qualitatuum operatur, non autem ex intentione animæ, cum non sit cognoscitiva: alioquin cessantibus ejus operationibus cessaret nutritio, quæ semper animali est necessaria, ex quo sequeretur actualis animæ à corpore separatio, quæ ad ecstasim non requiritur; sed tantum ne ad phantasmata, & ad objecta sensibilia convertatur, ut possit ad divina elevari, quæ omnia phantasmata, omnemque speciem intelligibilem creatam excedunt. Quidam Philosophi ecstasim fieri existimarunt, animam à corpore re ipsa separatam, & ad ipsum post raptum redeunte. Quam opinionem exemplo probant Eri Armenii, qui ut narrat

d. 2. q. 175. art. 5. & de Verit. q. 13. art. 4.

## SPIRITUUM CAP. XIV. 227

Plato <sup>e</sup> pro mortuo habitus anima redeunte revixit, & præmia ac pœnas alterius vitæ enarravit. Refert quoque Plinius <sup>f</sup> Hermotimi Clozomenii animam relicto corpore errare solitam, vagamque è longinquo multa annunciasse, quæ nisi à presente noscitur non possent, donec ejus inimici corpore cremato remeanti animæ velut vaginam ademerunt. Sed hæc ad fabulas, vel ad ludibria dæmonum referenda sunt, ut observant ex nostris Origenes <sup>g</sup> & Tertullianus <sup>h</sup>. An verò anima per divinam potentiam in altiori ac vehementiori raptu è corpore interdum abierit vel abire possit, quæstio anceps & difficilis est: nam Apostolus, raptus ad tertium cælum se nescire professus est, an in corpore vel extra corpus id contigerit. Quod autem tantus vir ignoravit, nostrum non est definire. Quis enim, inquit Augustinus <sup>i</sup> de Pauli raptu doctissime disputans, audeat dicere se scire, quod se nescire Apostolus dixit? Eadem ignorantio Teresie mentem invasit, raptus enim effectus describens in Castro animæ ait <sup>l</sup>, *An in corpore, vel extra corpus hæc*

<sup>e</sup> Lib. 10. de Rep. f Max. Tyrius serm. 28. lib. 7. h. st. nat.

<sup>g</sup> 12. g Lib. 3. adv. Celsum. h Lib. de anima. cap. 44.

<sup>i</sup> 2. Cor. 12. k Lib. 12. de Gen. ad lit. c. 1. l Mans. 6. c. 5.



gerantur dicere nequeo : certè jurejurando  
asserere non ausim animam in corpore  
tunc esse, uti nec corpus interea sine anima  
vivere. Tum aliqua adhibita similitudine  
ad ejus rei explicationem concludit se nescire  
quid dicat. At verò Catharina Senensis & ipsa divina patiens ulterius  
progređi non dubitavit pro certo asserens  
animam suam aliquando è corpore discessisse,  
& bona in mortalia degustasse: quam  
animam à corpore separationem ad tempus  
fieri nonnunquam posse, non viribus nature,  
sed divinæ virtutis omnipotentia,  
manifestum est.

II. Audiamus expertos, ipsi nos docebunt,  
quid anima agat, vel potius quid patiatur,  
cum in sublime rapta sensus & corpus deserit,  
Deique præsentiam fruitur in placida atque  
dulcissima contemplatione. Augustinus humanam  
mentem posse divinitus rapi ex hac ad Angelicam  
vitam, antequam per mortem carne solvatur,  
asserit his verbis. Sic enim, inquit, raptus  
est qui audivit illic ineffabilia verba, que non  
licet homini loqui: ubi usque adeo facta est  
ab hujus vite sensibus quedam intentionis  
aversio, ut sive in corpo-

Epist. 12. ad P. Raymundum. n. Epist. 102.

re, sive extra corpus fuerit, idest utrum  
sicut solet in vehementiori ecstasi mens ab  
hac vita in illam vitam fuerit alienata manente  
corporis vinculo, an omnino resolutio facta  
fuerit, qualis in plena morte contingit, nescire  
se diceret. Ita fit, ut & illud verum sit quod  
dictum est, Nemo potest faciem meam videre,  
& vivere, quia necesse est abstrahi ab hac  
vita mentem, quando in illius ineffabilitatem  
visionis assumitur; & non sit incredibile  
quibusdam sanctis nondum ita defunctis, ut  
sepelienda cadavera remanerent, etiam istam  
excelsam revelationis ejus concessam fuisse.  
Quod existimo cogitasse illum, qui noluit  
dicere. Idem explicans Psalmistæ verba  
dicentis ego dixi in excessu mentis meæ,  
ubi ipse legit in ecstasi mea, sic loquitur:  
Videtur mihi qui hoc dixit levasse ad Deum  
animam suam, & pervenisse spiritali quodam  
contactu ad illam incommutabilem lucem,  
eamque infirmitate conspectus ferre non  
valuisse: & in suam quasi egritudinem atque  
languorem iterum recidisse, & comparasse  
se illi, & sensisse adhuc contemperare non  
posse aciem mentis sue luci sapientia Dei.  
Et quia hoc in ecstasi fecerat,

Ps. 30. p. Ser. 63. de verbis Domini.



DE DISCRETIONE

abreptus à sensibus corporis & subreptus in Deum, ait: Ego dixi in Ecstasi mea. Vidi nescio quid in ecstasi, quod diu ferre non potui: & redditus mortalibus membris & multis mortalium cogitationibus à corpore, quod aggravat animam, dixi. Quid? Projectus sum à facie oculorum tuorum. Longè sursum es, longè deorsum sum. Abbas Joannes apud Cassianum 9, quid sibi in ecstasi contingeret, sic enarrat. Memini me in hujusmodi raptum frequenter excessum, ut obliviscerer me sarcina corporea fragilitatis indutum, mentemque meam ita omnes exteriores sensus subito respuisse, & à cunctis materialibus rebus omnimodis exulasse, ut neque oculi, neque aures meæ proprio fungerentur officio, & ita divinis meditationibus ac spiritualibus theoriis animus replebatur, ut saepe ad vesperam cibum me percepisse nescirem, ac sequente die de hesterna absoluteione jejunii penitus dubitarem. His Bernardus adstipulatur, quem ex propria experientia loqui nemo ambigere potest. Ego, inquit, non absurde sponsa ecstasim vocaverim mortem, qua tamen non vitâ, sed vita eripiat laqueis: si tamen eo usque mente secedat & avolet, &

9 Coll. 19. cap. 4. & Ser. 52. in cant.

SPIRITUUM CAP. XIV. 231

hunc communem transcendat usum & consuetudinem cogitandi. Quid enim formidetur luxuria, ubi nec vita sentitur? Excedente quippe anima, si non vita, cerè vita sensu, necesse est etiam ut nec vita tentatio sentiatur. Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vita luxuriantis mortifera blandimenta. Bona mors, que vitam non aufert, sed transfert in melius: bona, qua non corpus cadit, sed anima sublevarur. Verum hæc hominum est. Sed moriatur anima mea morte etiam, si dici potest, Angelorum, ut presentium memoria excedens, rerum se inferiorum corporearumque non modò cupiditatibus, sed & similitudinibus exuat, sitque ei pura cum illis conversatio, cum quibus est puritatis similitudo. Idem alibi loquens de anima cui datum est excedere, & cum Verbo esse, eoque frui ad jucunditatem, ait: Pergat quis forsitan querere à me Verbo frui quid sit? Respondeo: Querat potius experium à quo id querat. Aut si & mihi experiri daretur, putas me posse eloqui quod ineffabile est? Aliud mihi cum Deo, solo arbitro Deo: aliud vobiscum mihi.

1 Ser. 85. in cant.



232 DE DISCRETIONE

*Illud licuit expirari, sed minimè loqui. Non docet hoc lingua, sed docet gratia.*  
In raptu enim supernaturali non solum loqui, sed etiam concipere non potest anima quod videt, eo ipso tempore quo videtur: tum quia objectum cum sit infinitum omnes conceptus, omniumque verborum vim & energiam excedit: tum etiam quia iudicium ferri de eo non potest, nisi se mens ad actionem suam convertat; id vero, quamdiu divinis inspiciendis inhæret, non est in ejus potestate; nam adeo intimè unitur objecto, ut nullam vim habeat ad alteram actionem eliciendam. Reversa autem ab ecstasi felicitatem qua potita est verbis exprimere nequit, eo tunc lumine deficiente, cujus splendore illustrata divinis gaudiis fruebatur. Confirmat hæc omnia mirabilis virgo Teresia, verè Theodidacta ecstases suas passim enarrans. Docet enim animam, cum sibi post raptum reddita est, nihil eorum quæ vidit posse aliis referre, neque eorum recordari, nisi confusa & generali quadam cognitione: ut si quis intimum Regis cubiculum vasis, tabulis, statuis, aliisque pretiosissimis ac mira arte dispositis ornamentis refertum

*In Castro anima mans. 6. c. 4. & visa sua c. 20. & 21. ingressus*

SPIRITUUM CAP. XIV. 233

ingressus fuerit, eaque omnia simul in oculos incurrant, fieri non potest ut de singulis postmodum in tanta rerum copia & varietate recordetur: ita anima ad Dei conspectum extra sensus admitta tot mirabilia in eo conspicit, ut ipsorum singillatim meminisse non possit. Hominis verò in ecstasim rapti pathemata describens ait: Videtur anima in raptu corpus non habere nec animare: deficit calor, intercipitur respiratio, adeo ut nec minimus halitus sive motus percipiatur: accedit membrorum omnium rigor & frigus, pallor in vultu, & omnia vel morientis vel mortui symptomata. Resistere raptui, aut reluctari non valet quacumque adhibita contentione, nam impetus quidam vehementissimus ita repente animam abripit, ut sustolli se videat nesciens quo feratur. Videtur sibi in alia regione esse ab hac multum dissimili, in qua alia lux fulget, alius est modus vivendi & intelligendi. Nec solum anima sed corpus quoque aliquando sursum fertur, & à terra elevatur. Hoc est autem discrimen, quo inter se distinguuntur raptus & ecstasis, nam hæc suavius mentem à sensibus abstrahit, ille

*u. 2. 2. q. 175. art. 2.*

v

234 DE DISCRETIONE

fortius & cum quadam violentia, ita quod raptus hoc ecstasi addit, quod vim quodammodo affert animæ, eamque celerrimè ac potentissimè à sensibilibus avellit, & ad invisibilem intellectualem inspectionem & amorem impellit ac sursum tollit.

III. Ecstasim ergo sive raptum pati quis dicitur cum extra se ponitur. Hoc autem contingit & secundum vim apprehensivam, & secundum vim appetitivam, ut docet Princeps \* Theologorum. In facultate, quæ cognitioni deservit dicitur esse formaliter, quia ex intenta unius meditatione abstrahitur intellectus ab aliis: in potentia appetitiva causaliter, affectus enim vehementia absorbet animam, nec finit sui juris esse. Celebris est Dionysii sententia †, *Amor ecstasim facit*: licet enim ad Deum duabus alis evolet anima, cognitione scilicet & amore; amor tamen majorem vim & agilitatem ad volandum præbet; cognitio siquidem assimilatio quædam est, ad hoc tantum requisita, ut amorem accendat; amor autem vim habet unitivam transformans amantem in amatum, sicut dicebat Apostolus ‡, *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus*.

\* 1. 2. qu. 23. art. 3. † De div. nomin. c. 4. §. 13. Gal. 2. 20.

SPIRITUUM CAP. XIV. 235

Ideo Platonici perfectam Dei notitiam quam scientiæ negant, tribuunt amori, quia per cognitionem Deum videmus, per amorem possidemus, & ipsa possessione cognoscimus, nam ut ait Gregorius Magnus †, *ipse amor notitia est*. Bernardus ‡ quoque cum duplicem causam excessus esse statuat, lucem nimirum & amorem; partem tamen potissimam amori tribuit, à quo anima introducit in cellam vinariam, ita ut possit dicere: † *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis*. Cum enim, inquit, duo sint beata contemplationis excessus, in intellectu unus, & alter in affectu: unus in lumine, alter in fervore: unus in agnitione, alter in devotione: pius sanè affectus, & pectus amore calens, & sancta devotionis infusio, etiam & vehemens spiritus repletus zelo, non planè aliunde quàm è cella vinaria reportantur. Consentit Bernardo Richardus †, qui tres causas assignans, quibus in mentis alienationem abducimur; duas affectui, unam applicat intellectui. Prima est magnitudo devotionis sive amoris, cum mens humana tanto cælestis desiderii

† Hom. 27. in Evang. ‡ Ser. 49. in Cant. c Psal. 38.

† Lib. 5. de contempli. cap. 1. & seq.



236 DE DISCRETIONE

igne succenditur, ut amoris intimi flamma ultra humanum modum crescens animam instar cere liquefactam à pristino statu resolvat, & in superna attollat. Secunda est magnitudo admirationis, qua anima supra seipsam ducitur, cum divino lumine irradiata, & in summæ pulchritudinis admiratione suspensa à suo statu excutitur, & in sublimia in modum fulguris coruscantis elevatur. Incipit autem hic excessus ab admiranda primæ veritatis contemplatione veluti ab aurora, à qua paulatim procedens in diem desinit ferventissimi amoris. Tertia est magnitudo jucunditatis & exultationis, cum mens hominis internæ suavitatis ubertate potata & inebriata quid sit, quid fuerit penitus obliviscitur, & in supermundanum quemdam affectum transformata à seipsa alienatur. His de causis accidere ecstasim docet Richardus <sup>e</sup>, eamque ait in fine libri tribus gradibus progredi. *Ascendit enim aliquando supra sensum corporalem, aliquando etiam supra imaginationem, aliquando verò supra rationem. Quis autem illam que supra sensum corporeum, seu illam que supra imaginationem est negare audeat,*

<sup>e</sup> Cap. 19.

SPIRITUUM CAP. XIV. 237

*cum illam etiam que supra rationem est, Apostolica auctoritas convincat? scio, inquit, hominem sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum ejusmodi usque ad tertium cœlum. Ecce quia humanam rationem mentis alienatione transierat, quid circa se plenius ageretur penitus discernere nequibat. Fit itaque ecstasis primo & imperfectiori modo, cum anima contemplationi intenta totam suam vim ita actibus internis applicat, ut externis sensibus non attendat, quare cessat illorum usus, & ab externis objectis ad suas functiones exercendas non excitantur. Secundo fit, cum etiam interni sensus in altissima contemplatione absorbentur, & Deo negante concursum suum impediuntur, ne ferantur in objecta, ad quæ naturaliter inclinantur. Tertius & supremus gradus est, cum pars superior animæ, ratio scilicet & voluntas, supra phantasmata & omnia sensibilia eleventur in Deum, modo supernaturali & occulto, quem illi duntaxat norunt, qui experti sunt. In hoc gradu *s* est illa pax, in qua anima obdormit, pax que mentem ad interiora rapit, pax que exteriorum omnium memoriam intercipit, que*

<sup>f</sup> Richard. in Psal. 4.

*ingenii acumen exuperat, qua rationis lumen reverberat, qua desiderium cordis replet, qua omnem intellectum absorbet. Simul enim absorbet cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiam, ut constet quod Apostolus scribit, quia exuperat omnem sensum.*

IV. Alio modo Franciscus Salesius & considerat ecstasim in divino tractatu de Amore Dei, ubi tres ejus species constituit, intellectus, voluntatis, & actionis. *Una, inquit, in intellectu, alia in affectu, tertia in actione: una in splendore, alia in fervore, tertia in opere: una fit per admirationem, alia per devotionem, tertia per operationem.* Prima provenit ex speciali claritate qua cælitus imbuta mens novam aliquam veritatem percipit antea ignoram, ex cujus notitia miratur, & supra se elevatur. Secunda oritur ex natura & conditione amoris, qui ecstasticus est; nam Deus cum sit immensæ bonitatis & pulchritudinis trahit voluntatem ad amorem sui: quemadmodum acus tactu magnetis vitam, ut ita dicam, ac sensum adepta huc illuc circumvolvitur, nec quiescit donec ad Polum se convertat: ita anima di-

vini amoris contactu à vinculis carnis soluta & à sensuum commercio libera sursum rapitur ad unionem cum summo bono. Splendor autem & fervor ut plurimum connexi sunt, unusque ab altero dependet, sed non semper: sicut enim Philosophi plus notitiæ quàm amoris habuerunt, ita sæpe in Christianis plus amoris quàm cognitionis reperitur, imo ecstasis supernaturalis voluntatis potiùs est quàm intellectus, majoremque fervorem habet quàm claritatem. Tertia, quæ duas priores perficit, est ecstasis vitæ & actionum; cum elevatur anima à terrenis affectionibus, & à vitiis depravatæ naturæ; Deique gratia aspirante ad observantiam mandatorum Dei, ad recipiendas supernas inspirationes, & ad actus virtutum perfectè exercendos supra communem hominum conditionem erigitur. Cum quis ergo humilitatem superbiæ, paupertatem divitiis, honoribus contemptum, voluptatibus continentiam præfert, hic supra se in vita ecstastica versatur, continuoque raptu actionis & vitæ à Deo trahitur, & ultra naturæ vires sustollitur. Raptus iste potior est & securior quàm raptus intellectus & voluntatis, non est



subjectus illusionibus, minus splendoris habet, plus sanctitatis. Agit in hoc homo, in illis agitur. Quod vero attinet ad causam efficientem ecstasis, à doctrina S. Thomæ, discedendum non est, qui ait ex triplici causa posse contingere, ex causa corporali seu naturali, virtute dæmonis, & Dei operatione. Naturaliter quædam ecstasis & à sensibus alienatio fit ex morbo, quem *catochen* seu *catalepsin* vocant Medici <sup>i</sup>, de quo Fernelius & Sennertus agunt: nam eo correpti omni sensu & motu destituuntur, ac in eo situ quo deprehensi fuerint, rigidi & immobiles manent, apertis & immotis oculis, vigilantis figuram retinentes, licet omnis sensuum functio consopita sit. Exemplum affert Galenus <sup>k</sup> cujusdam sui condiscipuli, qui cum assiduo disciplinarum studio se fatigaret, hoc morbo correptus est. *Facebat*, ait, *velut lignum prorsus inflexus atque extensus, videbaturque oculis apertis nos intueri, ut ne conuideret quidem; nihil tamen loquebatur. Is quoque tempore eodem que loqueremur audire se dixit, quamquam non evidenter clareque: nonnulla item &*

h 2. 2. qu. 175. art. 1. i Fern. lib. 5. Patol. cap. 2. Sennert. Instit. med. lib. 2. p. 3. sec. 1. cap. 9. k Comment. 2. in lib. 1. Prædic. Hip. tex. 56.

memoria

*memoria tenens referebat, præ sentesque omnes sese conspiceret dixit; sed neque loqui posse, neque membrum ullum movere.* Alterius casum narrat Fernelius, qui neque audiebat, neque compunctus sentiebat, sed jacebat velut mortuus. Interdum etiam raptus creditur ab inexpertis quod est deliquium: de qua re diffusè tractat & profert exempla S. Teresia in libro foundationum <sup>l</sup>. Alii Lethargum inter morbos ecstasim causantes recensent; sed vera lethargo correpti profundo somno merguntur rerum omnium ignari, quod ad ecstasim non spectat. Vera item ecstasis siue à sensibus alienatio fieri potest ex vehementi imaginatione: tunc enim confluant spiritus animales in cerebrum, & sensuum exteriorum functiones impediunt, manente homine abstracto & sine motu, eosque sibi præsentis fingente, & cum illis miscente colloquia, quibus hæret imaginatio: sicut accidit in somnio, à quo non differt ecstasis ista, nisi quod illud dormienti, hæc viglanti contingit. Quo vero intensior imaginatio fuerit, eo major spirituum copia cerebrum obsidet, sitque fortior & longior abstractio, præfer-

l cap 6.

X



242 DE DISCRETIONE

tim cum spiritus crassiores sunt & melancholici, qui difficilius dissipantur. Platonem legimus Philosophicis speculationibus ita quandoque intentum, ut sensuum usu careret. Socrates, ipso Platone referente <sup>m</sup>, integro die immobilis stetit cogitabundus & abstractus. Eundem excessum contigisse Carneadi scribit Valerius Maximus <sup>n</sup>, Plotino Porphyrius <sup>o</sup>, Iamblichus Eunapius <sup>p</sup>. Nota quoque est Thomæ Aquinatis abstractio, qui regie mensæ acumbens conclusum esse adversus Manichæos exclamavit. Nemo item ignorat quod narrat Augustinus <sup>q</sup> de Restituto Presbytero Calamensi, qui quando ei placebat, ita se auferbat à sensibus, & jacebat simillimus mortuo, ut non solum vellicantes atque pungentes minimè sentiret; sed aliquando etiam igne ureretur admoto sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere: hominum tamen voces, si clarius loquerentur, tanquam de longinquo se audivisse postea referebat. Atqui hoc mirabile est, objectum enim vehementius est ignis admotus, quàm vox prolata. Quod verò aliquis elevetur ad di-

<sup>m</sup> In Convivio. n Val. lib. 8. c. 7. <sup>o</sup> Porph. in vita Plotini. <sup>p</sup> Eunap. in Iamblico. <sup>q</sup> De Civ. Dei lib. 24. cap. 24.

SPIRITUUM CAP. XIV. 243

vina cum abstractione à sensibus, non est homini naturale, ut docet S. Thomas <sup>r</sup>. Dæmon autem ecstasim facit ligando sensus, viasque obstruendo, per quas spiritus à cerebro in ipsos sensus exteriores diffunduntur. Tales fuisse ecstases Plotini, & aliorum illius ævi Platoniorum, credidit Augustinus. Ecstases item Montani hæresiarchæ, ejusque mulierularum nulli dubium esse potest, quin à malis spiritibus orientur. Non est autem hic omittenda descriptio ecstasis, quam sibi contigisse scribit auctor libri de secretiori Philosophia secundum Ægyptios, qui perperam tribuitur Aristoteli, Ego, inquit <sup>s</sup>, sapius animo contemplans relicto corpore visus sum perfrui summo bono cum voluptate incredibili. Quare hæsi quodammodo attonitus, me esse partem quamdam superioris mundi, atque me adeptum vite immortalitatem sentiens sub luce maxima, que neque oratione exprimi potest, neque auribus percipi, neque cogitatione, defessus intellectus recidit in phantasiam, tuncque illa luce deficiente factus sum tristior. Hæc ille vel naturali contemplatione in altum elatus, vel à malignis spiritibus illusus.

<sup>r</sup> 2. 2. qu. 175. art. 1. ad 1. <sup>s</sup> Lib. 1. cap. 4.

V. His ita constitutis de natura ac divisione ecstasis & raptus, restat nunc pars difficilior & operosior de discernendis naturalibus & demoniacis à supernaturalibus & divinis: nam diaboli fraudes innumerabiles sunt, multiformia imaginatio- nis figmenta, viâ quoque Dei investiga- biles, nec facile ab inexpertis, qualis sum ego, comprehendi possunt. Ex quo licet concludere incertum & fallax de his judi- cium fore, nisi aliena utamur experientia, sicut ait Richardus<sup>s</sup>, *Melius in hoc nos illorum peritia instruit, quos ad sapientia hujus plenitudinem non tam aliena do-ctrina, quam propria experientia provexit.* Ex his regulas selectas excerpti, quibus difficile non erit verum à falso internosce- re, si non una tantum, aut altera, sed plures ad judicandum de veris raptibus adhibean- tur.

1. Ecstasis naturalis ex capitis intempe- rie, vel ex catalepsi, aut ex alia morbosa qualitate proveniens medicorum peritiâ, ex his quæ corpus patitur, sine difficultate deprehenditur. Ex hominis quoque tem- peramento certum ecstasis judicium fieri potest, nam qui atra bile abundant, ita

<sup>s</sup> Lib. 5. de contemp. cap. 19.

nientem uni objecto applicare solent, ut à reliquis omnibus avocentur. Illi etiam qui vehementer aliquid cupiunt vel amant, aut gravi aliquo dolore sive tristitia af- ficiuntur, in illud solum intenti ita sæpe à sensibus abstrahuntur, ut in ecstasim rapti videantur. Vix tamen fieri potest, ut tanta in his alienatio fiat, quin alicujus sensus usus remaneat. Observat etiam Cajetanus<sup>s</sup>, *quod pluries contingit a per-sonis patientibus ecstasim causantur origina- liter ex sua apprehensione, quamvis fortè consuetudo mutata in naturam, etiam in vitas postmodum afficiat. Cujus signum est, quod si diutius ad oppositos mentis actus se toto co- natu transferunt, ab hujusmodi accidenti- bus deseruntur.* Hæc ille, qui subdit se hoc certa experientia didicisse.

2. Hinc sequitur magnam cautionem in raptibus incipientium judicandis adhi- bendam esse: spiritus enim debilis, cum rerum divinarum meditationi, cui assue- tus non erat, studiosius incumbit, ita plerumque illarum novitate & suavitate afficitur, ut reliquorum omnium oblitus, extra sensus sustolli censeatur. Sicut ebrie- tas oriri solet ex vini validioris generosita-

<sup>u</sup> 1. 1. qu. 17. ar. 7.

te, & ex capitis infirmitate: ita ecstasis in incipientibus ex nimia divinæ operationis dulcedine, cui ferendæ pares non sunt, nonnunquam contingit. Ufu ipso didicimus nonnullos reperiri adeo firmo capite, ut vinum etiam largiùs sumptum nihil eis nocumenti afferat; quidam verò vel unico haustu inebriantur. Ita in usu spiritualium deliciarum accidit, ut qui spiritu debiliori sunt, minùs quoque idonei sint ad illarum suavitatem sine aliquo excessu ferendam. Quanquam aliquando tanta ubertate, etiam illis qui perfectiores sunt, à Deo infundatur, ut vitam corporalem adimere potens sit, nisi illam divina providentia aut minueret, aut subtraheret.

3. Debet vir prudens, qui animas regendas suscepit, cum quis ecstases patitur, sedulo perpendere, an ejus anima tantæ gratiæ capax sit, an omnem affectum erga creaturas exuerit, ad quem gradum divini amoris pervenerit, qua puritate niteat, qua humilitate prædita sit. Deinde observandum, an sicut in mente, ita etiam in moribus ecstasim habeat, an videlicet vitâ vivat supermundanâ, & in Deum elevatâ per omnimodam abnegationem: cujus enim vita donis hujusmo-

di non consentit, ejus raptus maximo periculo expositi sunt; nec veri raptus censentur, sed diaboli potiùs illusiones. Non dico quòd omni imperfectione carere debeat, quia elevatio in Deum neminem eximit à conditione nostræ mortalitatis quotidianis defectibus obnoxia; sed hoc solum cavendum, ne sanctitas ex his estimetur; ex quo etiam fit, ut hæc dona parvipendenda sint, nisi contingant personis probatæ sanctitatis, qui ex illis proficiant, & in virtutibus solidentur, ita ut evidens sit, quòd à demone non decipiantur. Consilium item saluberrimum est tam incipientibus, quàm proVectis illa respuere & quantum fieri potest impedire exemplo Sanctorum. De Abbate \* Sisoï legimus quod si aliquando stabat ad orationem, nisi citò deponeret manus suas, rapiebatur mens ejus in superioribus. Si ergo contingebat cum eo aliquem fratrem orare, festinabat citò deponere, ne mens ejus raperetur. Rogerius ordinis Minorum, ut Lucas Vadingus narrat, confessario suo verba facienti de creberrimis raptibus B. Agidii dicebat, menti defæ-

\* Vita Patrum lib. 5. libello 12. y An 1287. num. 20.



caræ & in Deum elevatae facillimum esse in ecstasim rapi. Tum ait se cognovisse hominem, qui sepe uno die totis viribus resistit, ne extra se raperetur, tantaque vi indignisse ne Deo per ecstasim jungeretur, quanta alii uti solent, ut ad Deum appropinquent. Eidem gratiæ sepius resistebat S. Teresa, præsertim cum in præsentia sororum versabatur; de se enim humiliter sentiunt servi Dei, seque indignos ea gratia reputant, & illis molestissimum est in conspectu hominum apparere. Par quoque est ut sapiens director, cum videt animam ad sublimiorem sanctitatis gradum pervenisse, id nequaquam illi significet; sed eam sinat in simplicitate cordis & status sui ignoratione Deum trahentem sequi. Hæc enim est certa tuitio Donorum Dei & custodia humilitatis.

4. Quod ecstasis à malo spiritu, vel ab aliqua causa naturali proveniat signum est vel saltem suspicio, cum quis jactat se rapi quodcumque voluerit, nemini enim datur raptus per modum habitus, sed divina gratia ad se animam trahit quando vult & quomodo vult. Cum pro arbitrio suo cessat ab ecstasi, vel ad certam vocem revocatur ad sensus, quia virtus divina

nōn est verbis alligata, nisi sit vox Superioris ex obedientia vocantis: quod tamen signum non est infallibile, nisi cætera consentiant. Cum rapta mens multitudine cogitationum, & speciebus creaturarum occupatur, aut distortis phantasmatibus perturbatur, nam in vero raptu in uno Deo defixa mens, & in ipso mirabiliter subsistens omnium obliviscitur, quæ extra ipsum sunt, ut nec quidem pro amicis orare possit, aut aliquid velle, nisi quod ipse vult. Si quis etiam per plures dies sine cibo & potu in ecstasi permaneat, miraculo adscribi solet, sed non semper hoc evincit ecstasim esse supernaturalem: multas enim multorum historias referunt Medici, qui citra miraculum absque cibo & potu diu incolumes permanserunt. Plures in quæstionibus medico-legalibus congerit Zacchias 2. Illorum quoque factæ sunt ecstases, qui cum gestibus & motibus indecoris rapiuntur, qui in ipso raptu verba proferunt inutilia, confusa, inepta, indiscreta; qui ipsas suas ecstases ostentant, sibi que factas revelationes referunt de rebus vanis, inutilibus, & curiosis: qui non student meliores fieri, & se

2 Lib. 4. tit. 1. qu. 7.



in humilitate custodire. Optimè Cajeta-  
nus <sup>a</sup>, Oportet advertere in hujusmodi alie-  
nationibus si interveniat aliquid indecens  
secundum motus intrinsecos, vel extrinsecos,  
sive sit indecentia naturæ, sive indecentia  
moris, quoniam tunc non est alienatio pro-  
phetica, sed infirmitatis, vel fictionis, vel il-  
lusionis diabolica, aut natural iter animalis  
ex nimia meditatione alicujus. Idem addit  
ibidem. Alienatos in ipsa alienatione lo-  
quentes, qui postmodum nescientes quid  
dixerint, ad ea se referunt, quæ in ecstasi  
dixerunt; itemque eos qui velint nolint  
quæcûque vident quasi acti ab alio enun-  
tiant, non esse veros Prophetas. Et hinc  
patet, inquit, quod persona in ecstasi posita lo-  
quentes in persona Christi vel alterius san-  
cti quasi acta ab illo, & non ex proprio sen-  
su, aut seducuntur aut seducunt. Et tamen  
mundus stultus miratur, stupet, adorat hujus-  
modi verba, hujusmodi actus, hujusmodi per-  
sonas. Non enim advertunt, quod sicut do-  
cet Apostolus <sup>b</sup>, Spiritus Prophetarum pro-  
pheti s subiecti sunt, mente scilicet quieta lo-  
quuntur, neque impetu aguntur velut fa-  
natici; sed possunt tacere cum volunt &  
sermonem in tempus opportunum differre.

<sup>a</sup> 2. 2. qu. 173. art. 3. <sup>b</sup> 1. Cor. 14. 31.

5. Ecstasis divina plena est timoris at-  
que formidinis, quia licet anima propen-  
sionem ad Deum maximam habeat, tan-  
quam ad finem & centrum suum, ille ta-  
men modus tendendi ad ipsum sine sen-  
suum ministerio, utpote alienus à natura-  
li conditione, horrendum illi timorem  
incutit, qualis homini accideret, qui cum  
cœpisset in altissimam turrim per scalæ  
gradus paulatim ascendere, repente rap-  
tus per æra in apice turris poneretur.  
Hæc autem formido summam parit hu-  
militatem tum propter periculum gravi-  
oris lapsus à loco sublimiori; tum quia ani-  
ma ad lucem inaccessiblei elevata videt  
in ea minimos quosque defectus suos, cla-  
reque cognoscens quantum distet à puri-  
tate & perfectione, quæ sibi necessaria est  
ut tantis Dei donis digna sit, timore &  
confusione repletur.

6. Cum homo exterior eodem fere mo-  
do tam in vero, quam in falso raptu se  
habeat, ut unum ab altero internoscatur,  
inquirenda primùm est ejus origo & occa-  
sio, tum omnes circumstantiæ & effectus  
examinandi. An videlicet ex intenta ali-  
cujus objecti meditatione, an ex magni-



## 252 DE DISCRETIONE

rudine amoris processerit. An ecstasi repentina absorptus fuerit, an data aliqua occasione, & quæ illa sit: an ex aliqua visione, & in ea quid senserit tam in anima, quam in corpore. An positus in ecstasi aliquid intelligat, & si quæ fuerint aliarum potentiarum operationes. An audierit aliqua verba, & quæ sint illa, & an viderit ea proferentem: an sint admonitiones & consilia, & ad quid tendant: an prænuncient aliquid futurum, & tunc eventus veritatem ostendet: an defectus vel peccata alicujus manifestent, & cui bono: an alicui infamiae nota inuratur. An ecstasis in locis publicis & ubi major hominum frequentia sæpius contingat: an illi conetur resistere, an quærat se abscondere. An meminerit post raptum eorum quæ vidit & dixit: an menti firmiter hæreant etiam post longum tempus: nam si omnium obliviscitur, morbus potius quam ecstasis censeri debet. An de raptu ejusque veritate dubitet: nam qui verè raptus est, nullatenus dubitare potest, quin in Deo fuerit, & Deus in illo. An remaneat in corpore languor, macies, debilitas, sicut ait Daniel propheta: *V*i-

c Dan. 10. 8.

## SPIRITUUM CAP. XIV. 253

*di visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo; sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium:* quia vi mentis in rerum divinarum contemplatione defixa, calore quoque vitali ad mentis functiones contracto, & vehementiâ amoris in partem sensitivam redundante, necesse est obtundi vires vitæ corporali servientes, & frigescere corpus, & pallescere, & infirmari. Hac item de causa solet raptus modico tempore durare propter violentiam quæ sensibus & corpori inferitur. Nec obstat quod prolixiores raptus quibusdam viris sanctis interdum accidisse legamus: nam vel aliqua intermissio, vel minùs perfecta alienatio erat; præterquam quod in nonnullis nimia virium imbecillitas deliquium & quamdam à sensibus alienationem operatur, quod ex hoc evidens fit, quia si nimia eorum jejunia impediuntur, si deperditæ vires instaurentur, protinus cessant in eis raptus, quo remedio usam fuisse S. Teresiam & erga quamdam Monialem supra à nobis ostensum est.

7. Nullum autem certius indicium ecsta-

A In Fundat. c. 6.

sis veræ ac supernaturalis, quàm si mo-  
 res ejus qui rapitur cum hoc divino mu-  
 nere consentiant, ut supra diximus, si  
 nimirum mundum contemnit, si ejus  
 pompas & vanitates detestatur, si efficax  
 Deo serviendi propositum habet, si se  
 indignum ea gratia reputat, si majorem  
 in dies progressum facit, si ex intima  
 cum Deo unione crescit in eo humilitas,  
 abnegatio, odium sui, & amor Dei. Ori-  
 tur etiam ex vera ecstasi anxium mortis  
 desiderium, sicut dicebat Apostolus <sup>e</sup>, *De-  
 siderium habens dissolvi & esse cum Christo:*  
 júbilus quoque & gaudium omnium po-  
 tentiarum, quæ diem festum agunt Deo  
 tanta exultatione, ut nec eam exprimere,  
 nec capere, aut ferre queat. *Factus est,*  
 ait Jeremias <sup>f</sup>, *in corde meo quasi ignis*  
*exastuans, claususque in ossibus meis, &*  
*defeci, ferre non sustinens. Raptus etenim*  
*& absorptus,* verba sunt Dionysii Car-  
 tustiani <sup>g</sup>, *introducitur & immersus ani-*  
*mus in divitias gloria, in oceanum dei-*  
*tatis immense, præ admiratione incircum-*  
*scriptibilis majestatis, & entis æterni pror-*  
*sus independentis, nulliusque indigentis, cu-*  
*jus nulla est causa, in cujus manu sunt om-*

<sup>e</sup> Philip. 1. 23. <sup>f</sup> Jer. 20. 8. <sup>g</sup> De fonte lucis ar. 10. 17.

SPIRITUUM CAP. XIV. 255,  
*nia: defluit prorsus ac deficit à seipso,*  
*transitque totus in principem majestatis, in*  
*fontem luminis, in deitatis abyssum: con-*  
*quiescens atque obdormiens in dilecto, &*  
*aliud nil advertens, totum præoccupante*  
*ardore amoris. Cum verò anima, ipsà*  
*nesciente neque cogitante, repente rapitur*  
*ad divina spectacula, tanta vis esse solet*  
*cælestis illustrationis, tanta spiritus &*  
*amoris efficacia, ut aliquando ipsum cor-*  
*pus in aëra sustollat: in quo raptu tantam*  
*patitur violentiam, ut non possit illi ob-*  
*niti. Illos autem felicissimos vocat Ber-*  
*nardus <sup>b</sup>, qui sic rapiuntur, qui in pro-*  
*fundissima Dei misericordia, quasi quo-*  
*dammodo sepultà jam arbitrii sui potestate,*  
*in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiun-*  
*tur, nescientes sive in corpore, sive extra*  
*corpus, hoc solum scientes, quod rapti*  
*sunt.*

h Ser. 2. in Ascens. Domini.



## CAPUT XV.

De visionibus & apparitionibus. Earum notitiam difficillimam esse. Quaedam de ipsis notantur. Tria earum genera. Quid sit visio, sive apparitio corporalis: quid item imaginaria.

I. **F**acile omnes docti indoctique percipiunt quid visionis & apparitionis nomine intelligendum sit: quomodo verò ipsæ visiones & apparitiones, occultorumque & futurorum revelationes fiant, res ardua est & difficillima explicatu, quæ non solum sapientes hujus seculi, sed & doctissimos atque sanctissimos Ecclesiæ magistros fatigavit. Augustinus, quem omnibus præferre non dubito, ab Evodio Episcopo de hac quæstione perliteras interrogatus eam obscurissimam vocat, ejusque solutionem curam atque operam negotiosissimam postulare testatur. *Visiones*, inquit <sup>a</sup>, futurorumque prædictiones quomodo fiant, ille jam explicare conetur, qui novit quæ vi efficiantur in unoquoque animo tanta cum cogitat. Videmus enim, planeque cernimus in eo fieri rerum multarum visi-

<sup>a</sup> Epist. 100.

bilium,

bilium, & ad ceteros corporis sensus pertinentium, innumerabiles imagines: quæ non interest quàm ordinare vel turbide fiant, sed tantum quia fiunt, quod manifestum est, quæ vi & quomodo fiant quisquis potuerit explicare, quæ omnia certè quotidiana sunt atque continua, audeat præsumere aliquid ac desinire etiam de illis rarissimis visis. Ego autem tanto minus hoc audeo, quanto minus quoque id in nobis, quod vita continua vigilantes dormientesque experimur, quo pacto fiat explicare sufficio. Tum narrat visionem cujusdam Gennadii, & ait: Ego autem quamvis quomodo fiant ista veluti corporea sine corpore, verbis prorsus explicare non possim: tamen sicut scio non ea corpore fieri, utinam scirem quomodo discernerentur, quæ videntur aliquando per spiritum, & per corpus videri putantur: quove modo distinguantur visa eorum, quos error vel impietas plerumque deludit, quando visis piorum atque sanctorum similia pleraque narrantur. Et epistola sequenti ad eundem illud Zachariæ <sup>b</sup> Prophetæ expendens, & dixit mihi Angelus qui loquebatur in me, de hac ipsa quæstione sic disserit <sup>c</sup>. Neque

<sup>b</sup> Zach. 1. 9. <sup>c</sup> Epist. 101.

Y

enim forinsecus voces ad aures corporeas  
 Propheta venisse credendum est, cum dicit,  
 loquebatur in me, non ad me. Vtrum vo-  
 ces erant de spiritu factæ corporalibus simi-  
 les, quales agimus cum apud nos taciti mul-  
 ta memoriter plerumque etiam cantando,  
 transcurrimus; sed tamen editæ ab Angelo  
 sibi suggerente. Et post pauca. Et ideo mi-  
 ra sunt, quia occultiorem habent rationem,  
 quam ut videri vel reddi ab homine homi-  
 ni possit. Nec ullus reperitur tantâ prædi-  
 tus sapientiâ, ut hæc judicare vel discer-  
 nere valeat, nisi desuper ab eo adjutus  
 fuerit, cujus est mysteria sapientiæ suæ hu-  
 milibus revelare. Huc accedit, ait iterum  
 Augustinus <sup>1</sup>, quia sunt visiones, que ap-  
 parent spiritui tanquam corporis sensibus,  
 non solum dormientibus vel furentibus, sed  
 aliquando sanæ mentis vigilantibus: non  
 per fallaciam illudentium demonum, sed  
 per aliquam revelationem spiritalem, qua  
 fit per formas incorporeas corporibus simi-  
 les: qua discerni omnino non possunt, nisi  
 divino adjutorio plenius revelentur, & men-  
 tis intelligentia diducantur, vix aliquan-  
 do cum fierent, sed plerumque post ea cum  
 transferint. Hæc ad Evodium Augustinus <sup>2</sup>,  
 d. Epist. 102. c. Lib. 12. de Gen. ad lit. & de cura pro mort.

qui & alibi de hac controversia fufius  
 disputans certa ab incertis secernere nos  
 docet, & de re profundissima atque obscu-  
 rissima sine temeritate differere.

II. Primo autem loco observandum est,  
 quod licet visio & apparitio pro una &  
 eâdem re accipi soleant, aliqua tamen in-  
 ter utramque distinctio reperitur. Nam  
 apparitio dicitur, cum nostris obtutibus  
 sola species apparentis se ingerit, sed quis  
 appareat ignoramus: cum verò externæ  
 apparitioni ejus intelligentia conjuncta  
 est, tunc visio appellatur. Secundo loco  
 duo extrema vitanda sunt: unum illorum  
 est, qui sine delectu & examine quam-  
 cunque audiunt vel legunt muliercularum  
 vel insipientium sive impostorum visio-  
 nem, protinus credunt: & hos perstringit  
 Sapiens <sup>3</sup> dicens, Qui credit cito, levis  
 est corde. Alterum è contrario quorum-  
 dam est, qui res divinas eâdem mensurâ  
 qua humanas metientes, adeo angustos  
 omnipotenti Deo terminos ponunt, ut id  
 ab eo fieri negent, quod ipsi non capiunt.  
 His nimirum, ut ait Augustinus <sup>4</sup>, tota  
 regula credendi est consuetudo cernendi:  
 & si quis asseret se spiritum vel spectrum

<sup>1</sup> Eccl. 19. 4. & Serm. 147. de Tempore.

vidisse, eum somniasse dicunt, vel tamquam infanum ad Medicos ablegant. Fa-  
 teor quidem in approbandis apparitioni-  
 bus cautè & lentè procedendum esse, cum  
 multi sint & fuerint pseudopropheta, mul-  
 ti qui falsas visiones & revelationes fin-  
 gunt; sed non ideo ob quasdam falsas  
 damnandæ quæ veræ sunt; perinde enim  
 esset, ac si quis diceret nullas esse veras  
 gemmas, quia multæ sunt falsæ; aut ne-  
 minem posse inebriari vino, quia non om-  
 nes qui vinum bibunt, inebriantur. Ple-  
 næ sunt visionibus & revelationibus  
 utriusque testamenti paginæ; plenæ sunt  
 sacræ & profanæ historiæ; pleni tracta-  
 tus sanctorum Patrum, quorum testimo-  
 nium nemo prudens respuere, nemo Or-  
 thodoxus negare potest. Cum sit itaque  
 certum & indubitatum visiones plurimas  
 & apparitiones & olim contigisse & in  
 dies contingere, tum Dei optimi maximi,  
 tum Angelorum & malorum demonum,  
 tum spirituum humanorum sive regnan-  
 tium in cœlis, sive illorum qui æterno  
 igne cruciantur, aut qui in Purgatorio de-  
 tinentur; videndum est tertio loco quo-  
 tplex sit visio sive apparitio. Richardus  
 à S. Victore <sup>b</sup> initio commentariorum

in Apocalypsim, Quatuor, inquit, sunt  
 visionum modi, ex quibus duo sunt intrò,  
 & duo foris. Duo sunt corporales, duo  
 spirituales. Visio nanque prima corpora-  
 lis est, quando oculos ad exteriora & visibi-  
 lia aperimus, & cœlum & terram, figuras  
 & colores rerum visibilium videmus. Sed  
 hæc visio infima, & infirma est, quæ qui  
 angusta est, maxima non comprehendit; &  
 quia hebes est, minima non discernit; &  
 quia pigra est, non attingit remota; &  
 quia perspicax non est, non penetrat occul-  
 ta. Quæ nihil denique mystica significatio-  
 nis continet, sed tantummodo corporei sen-  
 sus morum & actionem habet. Alia quoque  
 visio corporalis est, quando species vel  
 actio sensui visus foris ostenditur, & intus  
 magna mystica significationis virtus conti-  
 netur: qualis fuit visio quæ Moysi in ru-  
 bo quidem extrinsecus visibiliter apparuit,  
 sed typicâ significatione plena fuit. Tertius  
 visionis modus non fit oculis carnis, sed  
 oculis cordis, quando videlicet animus per  
 Spiritum sanctum illuminatus formalibus  
 rerum visibilium similitudinibus & imagi-  
 nibus presentatis quasi quibusdam figuris  
 & signis, ad invisibilem ducitur cogni-  
 tionem. Quartus est, cum spiritus humanus

## 262 DE DISCRETIONE

per internam inspirationem subtiliter ac suaviter tactus, nullis mediantibus rerum visibilibus figuris sive qualitativis, spiritualiter erigitur ad cœlestium contemplationem. Prima visio naturalis est, nobisque communis cum brutis: secunda sublimior & excellentior, præter speciem quam exhibet sensui, latens sub illa mysterium designat. Tertia fit in imaginatione, quarta in intellectu. Quatuor item genera visionum constituit seraphicus doctor Bonaventura<sup>1</sup>. Quedam visiones, ait, dici possunt corporales, quæ vigilantibus corporaliter ostenduntur: ut Moyses vidit Dominum in rubo ardenti, & Patres sepe Angelos visibilibus susceperunt. Ad hanc potest referri quorumlibet sensuum experientia, ut auditus, gustus, odoratus, & tactus; quia visus pro quolibet sensu solet poni. Hinc in Exodo<sup>2</sup> dicitur, Videbant voces & lampades, & sonitum buccinæ: voces namque & sonitum buccinæ non visu, sed auditu percipere potuerunt. Alia sunt imaginaria visiones, quæ vigilantibus non corporaliter, sed imaginariè ostenduntur, ut visiones Ezechielis, Danielis, & aliorum sanctorum in novo & veteri testamento. Alia sunt imaginaria quæ

<sup>1</sup> Protes. 7. Relig. cap. 18. <sup>2</sup> Exod. 20. 18.

## SPIRITUUM CAP. XV. 263

dormientibus ostenduntur, ut Jacob vidit Dominum innixum scabæ: & Pharaon & Nabuchodonosor somnia viderunt præsagia futurorum. Alia est visio intellectualis, quæ illuminatur mentis oculus luce veritatis puræ, quæ ipsam veritatem in se contemplatur: vel intelligit in visione imaginaria veritatem quæ in illa significatur. Sic Paulus raptus in cœlum audivit ineffabilia verba ipsius veritatis splendorem purè intuitus. Sic Joannes in Apocalypsi, licet sub figuris rerum materialium futura describat, creditur tamen omnia purè intellexisse, quæ figurarum velamine operata nobis proposuit. Notat autem Bonaventura quod tres primæ visiones bonis & malis communes sunt: nec videntem sanctum faciunt, aut aliis meliorem, ut patet in Balaam, Pharaone, & aliis impiis: imo plurimis nocuerunt, qui in superbiam elati in propriam & aliorum perniciem illis abusi sunt. Aliis perturbatâ phantasiâ viam paraverunt ad insaniam, ad illusiones & deceptiones, & ad ruinam. Deinde observat visiones imaginarias, earumque corporales figuras veras esse secundum ea quæ spiritualiter & mysticè significant, non secundum existentiam; neque enim ve-

rum est, quod revera sint in cœlo boves ; leones, aquilæ, & alia ejusmodi, quæ scribit Joannes se vidisse ; sunt tamen virtutes & mysteria, quæ per illas figuras designantur.

III. Multa de his integro libro Augustinus, quæ brevi compendio perstringam, nullo doctrinæ dispendio. Visionum tria genera esse ait<sup>1</sup>, corporale, spiritale, & intellectuale, quarum exemplum occurrere docet in hoc præcepto, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Nam corporaliter videntur literæ, quibus scribitur ; spiritualiter, id est per imaginationem, proximus cogitatur ; intellectualiter dilectio conspicitur. Possunt etiam & literæ absentes spiritualiter cogitari, & proximus præsens corporaliter videri : at vero dilectio nec per se oculis cerni, nec per imaginem spiritu cogitari, sed solo intellectu percipi potest. Porro quidam inter istas visiones respectus reperitur, corporalis enim ad spiritalem, spiritualis autem ad intellectualem refertur ; quod evidenter apparet in visione manus scribentis in pariete, quam vidit Balthasar rex. Imago siquidem rei corporaliter factæ spiritui ejus impref-

<sup>1</sup> Lib. 12. de Gen. ad lit.

sa est, & in cogitatione permansit, atque in spiritu videbatur, sed nondum intelligebatur, quamvis sciret alicujus rei signum esse. Accessit Daniel, & mente divinitus illustrata indicavit Regi quid illo signo portenderetur, ipse potius Propheta qui visionem mente intellexit, quam Rex qui signum corporaliter viderat, ejusque imaginem in spiritu cogitando postea cernebat, nec aliquid poterat intellectu comprehendere, nisi quod signum erat, & ideo quid significaret, inquisivit. Cum igitur oculis quædam præsentia videamus, quædam absentia imaginatione, facillè illa ab istis discernimus, cum vigilamus : nec dubitamus illa esse corpora, ista imagines corporum. Cum verò nimia cogitationis intentione, vel aliqua vi morbi, vel spiritus boni aut mali operatione, corporalium rerum imagines ita in spiritu exprimuntur, ac si oculis cernerentur ; tunc inter ea quæ visui & quæ imaginationi occurrunt, non discernimus : nam sæpe phreneticos & febricitantes audivimus loqui cum his qui verè aderant, & cum his qui non aderant, ac si præsentessent. In ecstasi autem, mente profus à sensibus alienata, nec corpora præsentia vi-



dentur, nec ulla vox auditur, sed totus animi contuitus in corporum imaginibus est, quando visio est imaginaria; aut in rebus incorporeis nulla corporis imagine figuratis, quando visio est intellectualis. Porro ea quæ cernuntur in visione imaginaria, si nihil significant, ipsius animæ imaginatione sunt: si verò aliquid significant, id non fit vi aliqua divinatrice, quæ animæ insit, sed Dei munere, vel Angeli tam boni, quam mali operatione. Verum hoc interest, quod malus Angelus sæpe mendaciis & præstigiis videntem ludificat, bonus verò spiritum hominis ad videndas rerum imagines nunquam assumit, nisi aliquid verum significant. Et omnes quidem visiones in anima fiunt, sed servant ordinem suum. Præstantior est enim spiritalis quam corporalis, neque fieri ista potest, nisi illa simul fiat; quando quidem eodem momento quo corpus sensu corporis tangitur, aliquid tale fit etiam in anima, quod non est illud, sed illi simile: at hoc non discernitur, nisi cum fuerit sensus ablatas à corpore, ut id quod per corpus videbatur, inveniatur in spiritu. Visio autem spiritalis fieri potest sine corporali, cum corporum absentium similitudines in spiritu apparent, &

multæ pro arbitrio finguntur, vel præter arbitrium demonstrantur. Ut verò iudicetur, indiget intellectuali; quæ cæteris non indiget, & sine illis fieri potest, estque omnibus nobilior & excellentior. Nulla in hac falsitas, nulla deceptio esse potest; reliquæ erroribus & illusionibus subjectæ sunt. Hæc pressè & summam ex Augustino, quem sequitur, ut solet, Angelicus Doctor <sup>m</sup>. Docet enim visionem distingui secundum potentias cognoscitivas, quæ sunt sensus, imaginatio, & intellectus. Et loquens de raptu Pauli, per tertium cælum intelligi ait visionem supermundanam secundum easdem potentias, ut primum cælum dicatur visio corporalis, quæ fit per sensum, sicut visa est manus scribentis in pariete: secundum autem cælum sit visio imaginaria, sicut viderunt Isaias, & Joannes in Apocalypsi: tertium verò cælum dicatur visio intellectualis.

IV. Ex his arbitror satis consta e illa videri & apparere, quæ sensum nostrum vel intellectum movent ad sui cognitionem: quod dupliciter fieri manifestum est; naturaliter, per objecta quæ naturali notitia percipiuntur: & supernaturaliter, quando ea

<sup>m</sup> 2. 2. qu. 174. arti. 1. & qu. 175. arti. 3.  
Z ij

manifestantur, quorum cognitio vires nostras naturales excedit. Hæc est autem visio sive apparitio, de qua nobis hic sermo est, cuius triplex genus supra constitutum est; una enim corporea, alia imaginaria, tertia intellectualis nuncupatur. Corporeæ nomen tribuitur tam illi quæ visus, quam quæ aliorum sensuum ministerio fit. Nomen quippe visionis primo impositum ad actum visus significandū, ad omnem quoque aliorum sensuum functionem propter ejus certitudinem & dignitatem extensum est. *Ad oculos propriè*, inquit Augustinus " *videre pertinet. Utimur autem hoc verbo etiam in cæteris sensibus, cum eos ad cognoscendum intendimus. Dicimus enim non solum, vide quid luceat, quod soli oculi sentire possunt: sed vide etiam quid sonet, vide quid oleat, vide quid sapiat, vide quàm durum sit.* Fit autem hæc visio sive apparitio per signa externa, aut per imagines sive species aliquas, quibus Deus utitur, illustrans videntis mentem, ut quæ repræsentantur intelligat: sive ipsa species sese oculis offerat: sive fiat aliqua vox, quæ ad aures sonet nulla apparente loquentis effigie: sive vox au-

diatur, & eodem tempore species loquentis oculis exhibeatur. Interdum quoque odoris fragrantia, & saporis suavitas omnem odorum ciborumque voluptatem superantes in cælestibus apparitionibus & in sumptione Eucharistiæ odoratu & gustu ab aliquibus percipiuntur, Deo illos excitante per hæc signa sensibilia ad majorem erga ipsum amorem, ut ex illorum analogia conjiciant quàm dulcis est Dominus; atque humilitati impensius studeant, agnoscentes se in eorum ordine esse, quibus tanquam parvulis ad cibum solidiorem ineptis lac cælestium consolationum propinatur. Cavendæ tamen in his fraudes & illusiones, quibus hæc sensuum perceptiones obnoxia sunt, de qua re quædam supra notavimus, cum de locutione Dei & Angelorum ageremus, plura dicturi infra cum de his discernendis ex proposito tractabimus.

V. Imaginaria, quam Augustinus spiritalem vocat, fit per species seu figuras & imagines rerum jam in ipsa phantasia existentes, quæ Dei vel Angeli operatione ita disponuntur, ut propositum objectum clarè repræsentent, infusâ luce superna-



## 270 DE DISCRETIONE

turali ad intelligendum quid significet. Fit etiam per novas species nusquam antea receptas, sed à Deo vel ab Angelo immixtas, quæ potentiaæ adeò firmiter inhærent, ut ab his distrahi, & averti pro arbitrio nequeat; & si aliqua persona apparet, ita phantasiam percellit & movet, ut & oculis corporis aspici, & vox ejus auribus percipi videatur. Sic apparuit Deus Danieli, *Aspiciebam*, inquit *e*, *donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus candidum quasi nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda; thronus ejus flamma ignis, rota ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus: millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Quæ omnia imaginationi à Deo ostensa constat, ut apparitio humanæ naturæ conditioni congrueret, quæ sensibilibus allicitur & movetur. Profundè & diffusè hanc visionem describit, ex propria experientia seraphica virgo Teresa, dicens Dominum sibi manus suas, deinde faciem ostendisse, tum illi apparuisse eâ formâ qua è sepulchro gloriosè resurgens pingi solet:

p Dan. 7. 9. q *Vita sua cap. 23.*

## SPIRITUUM CAP. XV. 271

qua in re tametsi ejus naturali imbecillitati se accommodaret, magno tamen robore indiguit, ut visionem ferre posset. Tantâ enim pulchritudine corpora gloriosa prædita sunt, & tantam ex omni parte gloriam spirant, ut videntem extra se rapiant, ac veluti dementem reddant. Hinc timor in ea & consternatio oriebatur, ne fortè diabolica fraude illuderetur; sed paulò post divina gratia omnem timorem expellebat. *Nam est*, inquit, *ad multos annos mecum ipsa imaginando cogitarem, quomodo rem tam speciosam effingerem, hoc tamen penitus facere nec passim nec scirem: longè quippe excedit quicquid cogitatione sive imaginatione effingi potest.* Vel solus Domini splendor, cum alicui apparet, explicari & concipi nequit. *Neque enim splendor est, qui visum perstringat, sed suavis quidam candor & fulgor infusus, qui oculos visumque maximopere recreat, non fatigat.* Hunc splendorem prolixè celebrat, asserens tam diversum esse ab eo qui in terra videtur, ut ipsa claritas solis ipsius comparatione obscura videatur. Lumen est quod noctem & obscuritatem non habet; nec quisquam est adeo præcellenti & acuto ingenio, ut

Z iiij

toto vitæ suæ tempore concipere possit  
 quale sit. Deus tamen illud repente ostendit,  
 ipsumque cernimus in momento, & si  
 necesse foret oculos aperire ad videndum  
 ipsum, ne quidem tempus suppetere-  
 ret. Nulla est distractio, quæ ipsum im-  
 pedire sufficiat; nulla potentia, quæ ei  
 resistat; nulla diligentia, quæ ad hoc con-  
 sequendum par sit. Quomodo verò se in  
 hac visione Dominus spectandum exhibeat,  
 se nescire fatetur: nam una ex parte  
 ipsemet præsens adesse; ex altera non  
 ipse sed ejus imago videbatur. Verùm  
 imago hæc talis non erat, quales sunt ho-  
 minum imagines in tabulis expressæ: quia  
 inter hanc & reliquas imagines tantum  
 erat discrimen quantum esse solet inter  
 hominem pictum & vivum. Quod si est  
 imago, vera & viva est: & aliquando  
 cum tanta majestate apparet, ut nemo  
 dubitare possit quin ipse sit. Alibi quoque  
 de hac ipsa visione agens ait sibi apparuisse  
 Dominum eâ formâ qua inter homines  
 visus est, & licet momentanea instar  
 fulguris hæc visio esset, ita tamen ima-  
 ginationi ejus imago sculpta manebat, ut  
 inde nullatenus deleri posset. *Quod au-*

x *Cass. animæ mans. 6. cap. 9.*

*tem, inquit, imaginem vocem; non ita  
 accipiendum est; quasi imago quadam sit  
 pro imaginatione & arbitrio videntis ex-  
 pressa; sed verè viva est, & interdum  
 etiam cum anima loquitur magnæque ei se-  
 creta revelat. Cum verò Dominus hanc  
 animæ gratiam facit, ferè semper raptum  
 patitur, eo quod natura nostra imbecillis  
 eam terribilem visionem ferre nequeat. Ter-  
 ribilem dixi, quamvis enim pulcherrima  
 sit, & majoris jucunditatis ac delectatio-  
 nis quam quis, si mille annis viveret & se-  
 jugiter cogitando defatigaret, imaginari  
 posset, cum omnem & imaginationis & in-  
 tellectus capacitatem transcendat: illius  
 tamen presentia tanta est majestatis, tanto-  
 que horrore animam implet, ut statim agnoscat  
 quis ille sit. Divina quoque sapientia  
 omnem ab illa ignorantiam disciunt, & li-  
 cet alii multa in contrarium congerant &  
 objiciant, certa tamen manet quod illa gra-  
 tia à Deo sit: nec timet in ea aliquam illu-  
 sionem subesse. Hæc Teresia, cui in om-  
 nibus consonat fidelis ejus socius in refor-  
 matione Carmeli Venerabilis Joannes à  
 cruce. Sciendum est, ait ille, quod  
 quemadmodum quinque exteriores sensus*

l *Ascens. montis Carm. lib. 2. c. 16.*

imagines & species obsectorum suorum phantasia & imaginationi proponunt & representant: ita possunt absque exteriorum sensuum interventu eadem species & imagines multo vivacius & perfectius supernaturaliter representari, quemadmodum passim in sacris literis apparet, ut cum Deus gloriam suam manifestavit inter Seraphicos spiritus, qui alis velabant facies & pedes: & cum ostendit Ieremia virgam vigilantem, & Danieli alias visiones. Et infra docet animam in his visionibus, earumque intelligentia & suavitate admittendis passivè se habere, nec posse eas impedire; sicut vitrum nitidum & bene dispositum solares radios prohibere non valet, quin eorum fulgore & claritate penetretur & illustratur. Docet quoque modum & ordinem quo Deus hominem disponit à sensibilibus ad intelligibilia, à recto scilicet usu naturali sensuum exteriorum ad supernaturales communicationes, cujusmodi sunt corporales apparitiones, & allocutiones, quibus sensus ad exercitationes secundum virtutem excitantur, & à pravis objectis alienantur. Post hæc instruitur, & perficitur phantasia bonis me-

ditionibus, ex quibus ad visiones imaginarias elevatur, donec à rerum sensibilibus simulacris avulsa ad intellectuales perceptiones Deo trahente perveniat. Quod si quidpiam diabolica operatione phantasiæ representetur, id nec visio, nec revelatio; sed illusio dici solet.

## CAPUT XVI.

*De visionibus, quæ in somnis occurrunt.*

*Quot sint species, quæ causæ somniorum.*

*Cur plures in somnis, quam in vigilia apparitiones fiant. Somnia divina quæ sint. Quomodo à demoniacis, & naturalibus discernantur.*

I. **I**N explicandis visionibus imaginariis, quæ homini vigilanti, cum sui compos est; vel eidem in ecstasi constituto & à sensibus avulso accidere solent, magnorum virorum auctoritate in superiori Capite usi sumus, nunc eadem adhibenda est in iis exponendis, quæ dormientibus & somniantibus interdum contingunt. Sunt autem multæ somniorum species, & multiplices causæ, nec par omnium ratio est. Vana multa, & falsa, atque inania esse scimus, quorum observationem sacræ literæ damnant: multa, quæ

## 276 DE DISCRETIONÉ

à naturalibus causis oriuntur: alia quæ dæmonum calliditate, alia quæ divinitus immittuntur. Præclare de his Tertullianus. *Vana in totum somnia Epicurus iudicavit, liberans à negotiis divinitatem, & dissipans ordinem rerum, & in passivitate omnia spargens, ut eventui exposita & fortuita.* Confutat autem Epicuri opinionem multa referens insigniora apud ethnicos somnia, quibus futura & occulta revelata sunt. Tum ait. *Definimus à dæmoniis plurimum incuti somnia, & si interdum vera, & gratiosa; quanto magis vana, & frustratoria, & turbida, ludibriosa & immunda.* A Deo autem, pollicito scilicet & gratiam Spiritus sancti in omnem carnem, & sicut prophetaturos, ita & somniaturos servos suos & ancillas suas, ea deputabuntur, quæ ipsi gratiæ comparabuntur, si qua honesta, sancta, prophetica, revelatoria, edificatoria, vocatoria; quorum liberalitas soleat & in profanos distillare, imbres etiam & soles suos peraquante Deo justis & iniustis. Siquidem & Nabuchodonosor divinitus somniat, & major penè vis hominum ex visionibus Deum discunt. Sicut ergo dignatio Dei & in ethnicos, ita & tentatio Mali & in sanctos, ut vel dormientibus ob-

De anima. c. 46. & 47.

## SPIRITUUM CAP. XVI. 277

repat quæ potest, si vigilantibus non potest. Tertia species erunt somnia, quæ sibi met ipsa anima videtur inducere. Hæc & alia multa Tertullianus, cui Gregorius magnus rem clariùs distinguens adstipulatur. *Sex, inquit, modi tangunt animum imagines somniorum. Aliquando namque somnia ventris plenitudine vel inanitate, aliquando verò illusionem, aliquando cogitatione simul & illusionem, aliquando revelatione, aliquando autem cogitatione simul & revelatione generantur. Sed duo, quæ primò diximus, omnes experimento cognoscimus: subijuncta autem quatuor in sacra scriptura paginis invenimus. Somnia etenim nisi plerumque ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquam aut vir sapiens indicaret dicens. Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis: & iterum. Non augurabimini, nec observabitis somnia. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul & illusionem procederent, vir sapiens minimè dixisset, multas curas sequuntur somnia. Et nisi aliquando somnia ex mysterio revelationis orirentur, nec Joseph præferendum se fratribus somnio videret, nec sponsum Mariæ, ut abla-*

b Lib. 1. dialog. c. 48. & lib. 3. mor. c. 13. c Eccl. 34.

d Levit. 19. 26. c Eccl. 52.

In puero in *Aegyptum* fugeret, per som-  
 nium Angelus admoneret. Rursum nisi ali-  
 quando ex cogitatione simul & revelatio-  
 ne procederent, nequaquam Daniel Pro-  
 pheta Nabuchodonosor visionem edisserens  
 à radice cogitationis inchoasset dicens s :  
 Tu Rex cœpisti cogitare in stratu tuo  
 quid esset futurum. Easdem fere som-  
 niorum causas & species agnoscunt scho-  
 lastici post Angelicum Doctorem s, sed  
 methodo clariori. Docent enim somnio-  
 rum causam duplicem esse internam & ex-  
 ternam. Interna item duplex est, una ani-  
 malis cum hominis phantasiæ ea in somnis  
 occurrunt, circa quæ vigilantis cogitatio, &  
 affectio versari consueverunt. Nam qui  
 amant amores suos somniant, qui ti-  
 ment turbidis phantasmatibus agitantur.  
 Sic venatoris somnia de campis, canibus,  
 & feris sunt; piscatoris de retibus, flumi-  
 nibus, lacubus, & piscibus: militis, de ar-  
 mis, sanguine, & cædibus. Altera cor-  
 poralis dicitur, cum ex interna corpo-  
 ris dispositione aliquis motus ipsi conve-  
 niens in phantasia efficitur: qua ratione  
 sanguinei hortos, convivia, cantus som-  
 niant; phlegmatici imbres, lacus, fluvios,

f Dan. 2. 19. g 2. 2. q. 95. art. 6.

navigationes, submersiones: choleric  
 rixas, certamina, incendia: melancholici  
 tenebras, spectra, funera, & horribilia  
 visa. Atque huc pertinent quæ de insom-  
 niis eorumque prælagiis principes medi-  
 corum Hippocrates & Galenus scripserunt.  
 Externa quoque duplex est, corporalis &  
 spiritualis. Illa aërem continentem, vel  
 impressionem cœlestis corporis; hæc  
 Deum, vel dæmonem complectitur, à  
 quibus dormientis phantasiam immutari  
 posse nemini dubium est. Nobis autem de  
 sola spirituali causa agendum est, de som-  
 niis scilicet à Deo vel à dæmone immis-  
 sis, quibus illustrandis & declarandis cæ-  
 terorum notitia præmissa est, ut natura-  
 lia à divinis, & divina à dæmoniacis  
 discerni queant.

II. Epicurus & alii ipsius sectatores,  
 cum detestata ab ipsismet Ethnicis impie-  
 tate, Deum negotium nec habere nec exhi-  
 bere dicerent, nulla item somnia ab ipso  
 immitti asserbant. Alii verò, tametsi mun-  
 dum providentia regi faterentur, somnia  
 tamen non à Deo, sed à dæmonibus pro-  
 ficisci crediderunt, ac si Dei majestate in-  
 dignum foret dormientium lectulos obire,  
 & illis injicere somnia, quæ postmodum  
 expergefacti aut spernerent, aut non intelli-



gerent, aut è memoria elaborerentur. Nos autem firmiorem sacrarum literarum auctoritatem habemus asserentium non solum vera & certa, sed & mysteriis referta à Deo mortalibus tam probis quàm improbis somnia dari: quam veritatem etiam multi inter ethnicos sapientes agnoverunt, quorum testimonia congerere ad rem nostram non spectat. *Terrebus me per somnia*, ait Job <sup>h</sup>, *& per visiones horrore concuties*. Et iterum. *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo; tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina*. Legimus item: quod consuluit Saul Dominum, & non respondit ei neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per prophetas. Sed & ipse Dominus ad Aaron, & ad Mariam sororem ejus dixit <sup>k</sup>: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnia loquar ad illum*. Tandem Joël novi testamenti gratiam prævidens & prædicans ait <sup>l</sup>, *prophetabunt filii vestri, & filie vestra: senes vestri somnia somniant, & juvenes vestri visiones videbunt*. Nec desunt exempla. Nam Deus <sup>m</sup> per

<sup>h</sup> Job. 7. 14. Job. 33. 15. <sup>i</sup> 1. Reg. 28. 6. <sup>k</sup> Nu. 12. 6. <sup>l</sup> Joël 2. 28. <sup>m</sup> Gen. 29.

somnium

somnium Abimelech Regem Geraræ admonuit, ne tangeret uxorem Abraham. Jacob <sup>n</sup> in somnis mysticam scalam vidit, & Angelos per eam ascendentes & descendentes. Deus in somnis apparuit Laban <sup>o</sup> præcipiens illi ne quidquam asperè contra Jacob loqueretur. Notissima sunt item somnia Joseph <sup>p</sup>, quæ futuræ dominationis præfagia fuerunt, & odii atque invidiæ fomitem fratribus ministrarunt. Sunt & illa quæ vidit Pharaon <sup>q</sup> septem annorum sterilitatem significantia, quæ Joseph divino imbutus spiritu interpretatus est. Salomoni <sup>r</sup> per somnium largitus est Deus sapientiam, divitias, & gloriam super omnes. In libro Danielis somnium legimus Nabuchodonosor, & alterum ipsius Prophetæ, per quod quatuor regna designata sunt. Judas Machabæus <sup>s</sup> vidit in somnis Hieremiam prophetam à quo gladium aureum accepit, ut adversarios populi Israël in eo dejiceret. Josepho Dei genitricis sponso apparuit Angelus in somnis dicens <sup>t</sup>, ne timeret accipere Mariam conjugem suam: & rursus in somnis monuit eum, ut fugeret Egy-

<sup>n</sup> Ib. 28. <sup>o</sup> Ib. 31. <sup>p</sup> Ib. 37. <sup>q</sup> Ib. 41. <sup>r</sup> 2. Reg. 3. <sup>s</sup> Dan. 2. & 7. <sup>t</sup> 2. Mach. 15. <sup>u</sup> Matth. 2.

A 3



## 282 DE DISCRETIONE

prum cum puero, & ut defuncto Herode in terram Israël reverteretur, Magi quoque admoniti sunt in somnis, ne redirent ad Herodem. Nemini ergo dubitare fas est, quin à Deo immittantur somnia, aliquando quidem aperta & per se clara, aliquando obscura & ænigmatibus obvoluta, sed semper vera; quibus humana mens vel ad supernaturalem intelligentiam elevatur, vel de agendis instruitur, vel de his quæ ventura sunt admonetur: sive Deus per se immediate formas & similitudines rerum imprimat phantasie, sive ministerio Angelorum. Habet quoque diabolus prophetas suos & somniatores, quorum ipse phantasiam commovet, multa que in ea representat & suggerit, & occulta quandoque revelat, implens animum noxia superstitione, & perniciosis illusionibus decipiens. Ratio est ex Angelico doctore, quia quedam cognoscunt demones naturali sua cognitione, quæ à notitia hominum remota sunt, & hæc possunt revelare. Intellectus siquidem superioris ordinis potest aliqua cognoscere, quæ ab inferiori ignorantur: humano autem intellectu superior est non solum intellectus Dei, sed etiam Angelorum tam bonorum quam

## SPIRITUUM CAP. XVI. 283

malorum; ex quo fit ut etiam demones occulta interdum manifestent, non illuminando intellectum, sed commovendo phantasiam: non prænunciando quæ ventura sunt, quod Dei proprium est; sed naturales affectus ex certis causis necessario obventuros, antequam contingant, indicando. Possunt etiam quæ ipsi postea facturi sunt somniantibus manifestare, quo genere somniorum ægrotos olim decipere solebant, qui in templo Æsculapii excubabāt, ab eo per somnium indicari remedia expectantes, quibus valetudini restituerentur.

III. Cur verò in somnis plures quam in vigilia apparitiones & revelationes fiant, diversæ sunt causæ. Solet enim animus in vigilia multis rerum humanarum curis & negotiis, variisque studiis occupari & distrahi, atque à seipso avocari, & turbidis affectibus agitari, quibus impeditur ne videat & discernat quæ recta & justa sunt: at cum dormit, ab omnibus curis & interpellationibus liber, sibi que præsens & attentus, quicquid internis facultatibus objicitur, facile percipit, & incorruptè dijudicat. Deinde cum vigilet, quicquid menti seu phantasie occurrit, humane ratiocinationis trutina expendere



## 384 DE DISCRETIONE

ac discutere, & si quid ab ea discrepare videretur, rejicere consuevit: dormiens autem agitur potius quam agat, magisque promptus & idoneus est ad divinas operationes percipiendas, non disquirens credendi causas, sed credens. Accedit noctis silentium, sensuumque exteriorum & rerum omnium, quibus mentis attentio alio diverti & remitti potest, placida quies: unde fit, ut res objectę magis animo imprimantur, & tenacius hęreant. Et quoniam, si divinitus immittuntur, vim aliquando significandi semper habent, homo de illis sopitis sensibus efficacius instruitur, ablato quoque extrinseco impedimento: quamvis dormiens discernere nequeat, quomodo res ipsas viderit, & intellexerit. *Cum enim vel in somnis vel in ecstasi, inquit Augustinus\*, corporum exprimuntur imagines, non discernuntur omnino à corporibus, nisi cum homo redditus sensibus corporis cognoscit se in illis fuisse imaginibus, quas non per sensum corporis hauriebat. Quis enim cum à somno evigilaverit, non continuo sentiat imaginaria fuisse que videbat, quamvis cum ea videret dormiens, à vigilantium corporalibus visis discernere*

\* Lib. 2. de Gen. ad lit. c. 2. & 3.

## SPIRITUUM CAP. XVI. 285

*non valebat?* Hęc de somno: at de ecstasi idem narrat se virum quemdam fidelem, sed rusticanum audivisse, qui vigilare se sciret, & quiddam videre non oculis corporeis. *Anima mea*, dicebat ille, *videbat eum, non oculi mei.* Non tamen sciebat, ait Augustinus, utrum corpus esset, aut imago corporis: non enim erat talis, ut ista discerneret. In somnis autem certum est non corpora videri, sed imagines corporum, quamvis imaginibus corporum nomina tribuantur. Ait enim homo, cum narrat somnia sua & aliquam in eis revelationem; vidi montem, vidi fluvium, vidi tres homines, ea nomina tribuens illis imaginibus, quarum similes illę res erant; quia nimirum in somnis ita versamur, ac si vigilantes objecta cerneremus, sensusque externi sua munia obirent. Porro somnia aliquando clara & manifesta sunt, qualia fuerunt Abimelech, & Laban, & Joseph sponsi B. Virginis, ac trium Magorum: aliquando obscura & perplexa, sicut somnia Pharaonis, Nabuchodonosor, & Danielis. Et ea quidem, quę à demonibus immittuntur ænigmatica esse & ambigua, mirum non est; nam cum certam futurorum scientiam non ha-



286 DE DISCRETIONE  
beant, si quos motus excitant in phantasia, aut si quid occultum revelant, magna verborum perplexitate, ac rerum caligine obvolvunt, quæ in varios ac contrarios sensus detorqueri possint, ut si eventus somnio & revelationi non consonat, interpretantis ignorantia adscribatur. Quæ vero Deum auctorem habent, ideo difficilia nonnunquam & obscura sunt, vel quia sic exigit sublimitas rerum quæ in somnio manifestantur: vel quia eorum explicatio à viris sanctis sive à Deo petenda est: vel quia eorum intelligentiam vult Deus occultam esse, donec veritas rerum eventu agnoscat. *Non enim quia videntur vera sunt, ut scitè Tertullianus, sed quia adimplentur. Fides somniorum de effectu, non de conspectu renunciat.* Sicut & *Prophetia*, ut scribit Chrysostomus<sup>2</sup>, *non in tempore quo dicitur, sed in tempore eventus præbet indicium suæ veritatis.*

IV. Cum igitur somnia diversas habeant causas intrinsecas & extrinsecas; maxima autem illorum pars ex varia & incomposita spirituum animalium, specierumque sensibilium per cerebri anfractus vagantium

y De Anima. c. 57. 2 Hom. 29. in 1. ad Cor.

SPIRITUUM CAP. XVI. 287  
agitatione, temerè & fortuito eveniat; merito sacra littera nullam eorum rationem habendam esse præcipiunt, ipsorumque observatores & conjectores acriter reprehendunt. Ita in Levitico<sup>a</sup>, *Non augurabimini, nec observabitis somnia.* Et in Deuteronomio<sup>b</sup>. *Non invenietur in te qui observet somnia.* Sapiens quoque ait<sup>c</sup>, *Multas curas sequuntur somnia.* Item<sup>d</sup>, *Somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia. Divinatio erroris, & somnia malefactorum vanitas est. Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum, multos enim errare fecerunt somnia.* Illud quoque observandum quod somnia divina, ea præsertim quæ futura prælagiunt, rarissima sunt, & non nisi ob aliquam insignem causam, quæ ad publicam utilitatem spectet, immitti solent: quorum significationes, cum à solo Dei consilio & voluntate institutæ sint, ejus duntaxat revelatione innoscere hominibus possunt. Ut enim docet Apostolus<sup>e</sup>, *Quo Dei sunt nemo cognovit nisi spiritus Dei.*

a Levit. 19. 26. b Deu. 18. 10. c Eccl. 5. 2. d Eccl. 34. e 1. Cor. 2. 11.



*Ipse revelat profunda & abscondita, & non vit in tenebris constituta, & lux cum eo est. Scripsit de somniis multa Gregorius Nyssenus, qui inter cetera ait: Cum vis imaginandi per somnum omnibus aequè ac sine discrimine à natura sit indita, pauci ex universorum cœtu sunt, quibus diviniora se somniorum visa offerunt. Ideo facile non esse somniis credendum Antiochus Monachus<sup>b</sup> ostendit, tamen si in speciem ad nos cœlitus demissa videri possint, nisi ad sit discretio spirituum, certa nec fallax interpretis rei visa. Cui consonans Scholasticus Climaci, Magna, inquit<sup>c</sup>, prudentia adhibenda est in iis quæ in somno usu veniunt: quin potius, quia inconstans est eorum ratio, omnino negligenda est, paucorum enim illorum dijudicatio: Eorum videlicet, qui gratiam discretionis spirituum à Deo acceperunt. Sunt nihilominus & quædam signa sive regulæ ex ipsis somniis desumptæ, quibus vir sapiens & expertus facile potest conjicere, ex qua causa proveniant, & quomodo vera à falsis, bona à malis discernantur.*

1. Naturalium alia sunt temerè & fortuito occurrentia, & quæ nihil profus  
b. De opif. hom. c. 13. h. Hom. 84. i. Ad grad. 15. n. 30.  
 signi-

significant, nec ullam cum futuris connexionem habent: & hæc omnino rejicienda, atque spernenda sunt. Alia statum, & constitutionem, sive temperamentum somniantis indicant, & ex his solent Medici morborum causas investigare. Nulla autem sunt, quæ naturaliter futura contingentia præfagiant.

2. Somnia quæ inutilia, superstitiosa, & vana suggerunt: quæ tetra, horribilia, aut obscena representant, vel ad malum quocunque modo provocant: seu quibus occulta manifestantur ad solam curiositatem vel ad inanem scientiæ ostentationem spectantia: aut futura prædicuntur, quæ postea ex eventu falsa dignoscuntur; à demone vel à natura oriri evidens est.

3. Si somnia accidant incomposita, turbulenta, ridicula, monstruosa; & quæ statim evanescent ac dissipantur, non sunt à Deo: ipse enim omnia facit in numero, pondere, & mensura, nec est aliquid inordinatum vel inutile in operibus ejus. Ipse somnia immittit, ut signa sint alicujus rei quam vult eo modo manifestari, ac proinde semper aliquid significant.

4. Divinorum indicia sunt res ipsæ, quæ per somnium innotescunt, si ejus generis  
 B b



290 DE DISCRETIONE

sunt, ut non nisi à Deo revelari queant, qualia sunt arcana cordium, intimæ cogitationes, abdita fidei mysteria, futura contingentia, quæ pendent à libero arbitrio, & quæcumque hominum cognitionem excedunt: nisi fortè talia fuerint, ut ea diabolus ex conjecturis vel aliunde scire possit. Solet etiam Deus, cum somnia immittit, miro quodam fulgore mentem illustrare, & voluntatem sic afficere, ut illis firmiter hæreat, & certò sciat à Deo esse, nec ullo unquam tempore eorum obliviscatur.

5. Ex modo quo contingunt, cum multa in eo diversitas sit, certa ipsorum discretio haberi non potest. Nam divina aliquando placidissimè, aliquando cum ingenti corporis & animi commotione atque horrore efficiuntur. Aliquando datum est alicui somnium, sed non ejus intelligentia, sicut Pharaoni & Nabuchodonosor: aliquando utrumque, sicut Prophetis. Alia, ut diximus clarè & apertè quod Deus vult manifestant: alia obscurè, & per varias similitudines, atque ænigmata. Alia respondent præcedentibus in vigilia cogitationibus, ut somnium Joseph prius cogitantis dimittere conjugem, po-

SPIRITUUM CAP. XVII. 291  
stea in somnis admoniti ut acciperet: alia de rebus fiunt ab omni prævia meditatione remotissimis. Tutiora igitur & certiora indicia sunt quæ ex ipsis rebus in somnio ostensis desumuntur: quibus & illa adjungi debent, quæ supra allata sunt, cum de spiritibus discernendis actum est.

CAPUT XVII.

*De somniis prophetis. Prophetiam in lumine divino præcipuè consistere. Tres gradus rerum quæ à Prophetis cognoscuntur. Prophetiam non esse habitum. Quotupliciter fiat. Quomodo Propheta aliis manifestet quæ intellectualiter vidit. Nota veri & falsi Propheta.*

I. **C**UM satis superque constet causam effectricem somniorum esse phantasmam, dubitant meritò sapientes, an ita perficiantur in ipso sensu interiori, ut nunquam se illis intellectus immisceat. Certà siquidem experientiâ constat, dormientes nonnunquam & somniantes elaboratam orationem texere, versus elegantes pangere, & de rebus altissimis philosophari; quæ omnia non ad solam phantasmam, sed etiam ad rationem pertinere  
B b ij



videntur. Nihilominus non desunt Philo-  
sophi, qui hæc putant imaginationis vi-  
res non excedere, quamvis ut plurimum  
ex his cogitationibus oriantur, quæ in vi-  
gilia præcesserunt. Quoties enim vigilan-  
tis intellectus de aliqua re disserit & argu-  
mentatur; sensus interior, quem poten-  
tiam cogitativam vocant, suam quoque ar-  
gumentationem subnectit, ac veluti sphæ-  
ra inferior ad motum superioris trahitur  
& circumvolvitur: nihilque animus co-  
gitare potest, quin protinus phantasia  
quidpiam simile sibi fingat, quod deinde  
in somnis ex motu spirituum & phantasmatum  
recurrat & excitatur, ac si res  
vera ageretur. Sed quicquid sit de somniis  
naturalibus, quorum disquisitio ad Phy-  
sicos spectat; certissimum est in divinis  
& prophetis, de quibus hic agitur, utriusque  
potentiæ superioris & inferioris  
operationes conjungi. Non enim consistit  
prophetia in impressione similitudinum  
sive specierum objecta representantium,  
sed in lumine intellectuali, per quod res  
ipsæ judicantur & discernuntur. Atque  
hinc fit, ut sine visione intellectuali ima-  
ginaria esse non possit, quia hæc perficitur  
judicio intellectus, ut docet Angeli-

cus Doctor <sup>a</sup>: & sic una eademque visio  
imaginaria est quoad receptionem specie-  
rum, intellectualis quoad judicium. In-  
terdum etiam contingit, ut quis propheta  
dicatur per solam illustrationem qua ju-  
dicat de visis imaginariis alterius, sicut  
Joseph propheta fuit, qui somnium Pha-  
raonis exposuit: at ipse Pharaon non fuit  
propheta, quia habuit somnium sine intel-  
ligentia, acceptionem sine judicio. Ideo  
autem necessarium est lumen, quo mens  
divinitus illustretur, quia homo somnians  
rerum similitudinibus attendit, quæ non  
sunt ipsæ res, & decipi potest referens  
visionem ad ea quæ phantasmatibus re-  
presentantur, non ad rei occultæ & sub  
illis speciebus revelatæ significationem.  
Deinde hoc ipso lumine mens elevatur  
ad percipiendum ea, ad quæ per lumen  
naturale pertingere non potest. <sup>b</sup> *Sicut  
enim per lumen naturale intellectus reddi-  
tur certus de his quæ illo lumine cognoscit  
ut de primis principiis: ita de his quæ su-  
pernaturali lumine apprehendit, certitudi-  
nem habet. Hac autem certitudo necessaria  
est ad hoc quod aliis proponi possunt ea*

<sup>a</sup> 2. 2. q. 173. art. 2. de Verit. q. 12. art. 12. b 3. con-  
tra gentes. c. 154.



## 294 DE DISCRETIONE

que divina revelatione percipiuntur: non enim cum securitate aliis proferimus, de quibus certitudinem non habemus. Cum predicto autem lumine mentem interius illustrante adsunt aliquando in divina revelatione aliqua exteriora, vel interiora cognitionis auxilia, ut potè aliquis sermo exterius sensibilibiter auditus, qui divina virtute formetur, aut per imaginationem interius Deo faciente perceptus, sive etiam aliqua corporaliter visa exterius à Deo formata, vel etiam interius in imaginatione descripta, ex quibus homo per lumen interius menti impressum cognitionem accipit divinorum: unde huiusmodi auxilia sine interiori lumine ad cognitionem divinorum non sufficiunt, lumen autem interius sufficit sine istis. Magis ergo ad mentem divino lumine perfusam pertinet prophetia, quàm ad imaginationem rerum simulacra percipientem: ac proinde, ut scribit Augustinus <sup>c</sup>, quibus signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, nondum erat prophetia: magisque propheta erat, qui interpretabatur quod alius vidisset, quàm ipse qui

<sup>c</sup> De Gen. ad lit. lib. 12. c. 9.

## SPIRITUUM CAP. XVII. 295

vidisset. Vnde apparet magis ad mentem pertinere prophetiam, quàm ad istum spiritum, qui modo quodam proprio vocatur spiritus vis anima quædam mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimentur. Itaque magis Ioseph propheta, qui intellexit quid significarent septem spice & septem boves, quàm Pharaon qui eas vidit in somnis. Illius enim spiritus informatus est, ut videret; huius mens illuminata, ut intelligeret. In illo erat rerum imaginatio, in isto imaginationum interpretatio. Consonat Augustino doctrinæ ejus sectator Gregorius Magnus hanc Beati Job <sup>d</sup> sententiam explicans, Ecce omnia hæc vidit oculus meus, & audivit auris mea, & intellexi singula. Ait enim <sup>e</sup>, Cum aliquid ostenditur vel auditur, si intellectus non tribuitur, prophetia minimè est. Vidit namque Pharaon per somnium, quæ erant Ægypto ventura, sed quia nequivit intelligere quod vidit, propheta non fuit. Aspexit Balthasar rex articulum manus scribentis in pariete, sed propheta non fuit; quia intellectum rei, quàm viderat, non accepit. Ut igitur Beatus Job prophetie spiritum se habere testetur, non solum vidisse se & au-

<sup>d</sup> Job. 12. 1, <sup>e</sup> Mor. 1. lib. 11. c. 11.

*diuise, sed etiam intellexisse omnia asserit.*  
 Ob eandem rationem Rupertus Abbas Joannem Apostolum prophetam dici non potuisse docet, si in suo tantum spiritu ea quæ narrat, vidisset. Tum ait, *Conspectis quippe per visum imaginibus, nisi intellectus accesserit, qui mentis est proprius, revelatio, vel agnitio, vel prophetia, vel doctrina non est.*

II. Constat igitur prophetia rerum occultarum revelatione, quæ naturaliter cognosci non possunt; & lumine interno, quo imbutus propheta certò discernit & iudicat ipsam revelationem à Deo esse, & si per rerum simulacra fit, perspicuè cognoscit quid ea significant. Quo verò longius ab hominum notitia res aliqua distat, eo magis pertinet ad prophetiam: atque ideo eorum, quæ spiritu prophetico cognosci possunt, diversi sunt gradus. Et primò quidem ac magis propriè prophetiæ nomine notitia futurorum contingentium intelligitur: hæc enim à nostra cognitione remotissima sunt, tum propter eorum obscuritatem, tum quia nec in seipsis, nec in suis proximis causis determinata sunt. Secundo loco sunt ea, quæ licet secundum se cognoscibilia sint, latent tamen, nostram-

que notitiam excedunt propter nostram imbecillitatem, quæ propriis viribus eorum excellentiam assequi nequit: atque hujus generis sunt mysteria Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, & Resurrectionis. Tertius gradus rerum illarum est, quæ procul sunt à cognitione quorundam hominum, sed non omnium, quæ cum diuinitus alicui manifestantur, ad prophetiam spectant: sic cordium cogitationes uni revelantur, non alteri: sic Eliseus *†* absens Regis Syriæ consilia perspexit. Idem puero suo Giezi dixit, postquam argentum & vestes à Naaman Syro acceperat, *Nonne cor meum in presenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui?* Sic viris sanctis sæpe legimus eo ipso momento, quo quidpiam in remotissimis regionibus factum est, Deo revelante innotuisse. Notata autem Gregorius Papa universum genus prophetiæ in tria tempora dividi, præteritum, præsens, & futurum. *Sciendum est, inquit, quod in duobus temporibus prophetia etymologiam perdit: quia cum ideo prophetia dicta sit, quod futura prædicat, quando de præterito vel presenti loquitur, rationem sui nominis amittit, quo-*

*† 4. Reg. cap. 5. & 6. §. hom. 1. in Ezech.*

nam non prodit quod venturum est, sed vel  
 et memorat quae transacta sunt, vel ea quae  
 sunt. Prophetia de futuro est <sup>b</sup>, Ecce Virgo  
 concipiet & pariet filium: de praeterito <sup>c</sup>, In  
 principio creavit Deus caelum & terram;  
 de illo enim tempore dixit homo, quo non  
 erat homo: de praesenti, cum dicitur <sup>k</sup>, Oc-  
 culta cordis ejus manifesta fiunt. Qua in-  
 re animadvertendum est, quod recte pro-  
 phetia dicitur, non quia praedicit ventura,  
 sed quia prodit occulta. Notat etiam ali-  
 quando spiritum prophetiae prophetis  
 deesse, nec semper eorum mentibus praesto  
 esse, quatenus cum hunc non habent, &  
 hunc agnoscant ex dono habere cum habent.  
 Gratia enim prophetiae, sicut & reliquae  
 gratis datae, nemini datur per modum ha-  
 bitus sive formae permanentis, sed per mo-  
 dum impressionis transeuntis, ita ut pro-  
 pheta novae revelatione semper indigeat,  
 quoties aliquid praedicens aut mani-  
 festandum est. Hinc verò sequitur, ut ibi-  
 dem Gregorius observat, quod aliquando  
 Propheta sancti dum consuluntur, ex magno  
 usu prophetandi quadam ex suo spiritu pro-  
 ferunt, & se hac ex prophetia spiritu dicere  
 suspicantur: sed quia sancti sunt, per san-

<sup>b</sup> Itai. 7. 14. i Gen. 1. 1. <sup>k</sup> 1. Cor. 14. 25.

ctum spiritum citius correcti, ab eo quae  
 vera sunt audiunt, & semetipsos, quia  
 falsa dixerint, reprehendunt. Probat hoc  
 S. Pontifex exemplo Nathan Prophetæ,  
 nam cum ei rex David dixisset, statuisse se  
 templum aedificare, respondit illi veluti ex  
 Dei sententia, ut faceret quicquid in cor-  
 de suo proposuerat: qui tamen eadem  
 nocte à Deo monitus denunciavit Regi,  
 templum Domini non ab ipso, sed ab ejus  
 filio aedificandum. Sic forsitan deceptae  
 fuerunt quaedam mulieres, tametsi sanctae  
 omnique reverentia dignae, apud quas le-  
 gimus aliquas revelationes sibi invicem  
 contradicentes, quas credere par est pro-  
 prio sensu ab illis conscriptas, quem puta-  
 bant Dei esse: nisi dixerimus perperam il-  
 lis adscriptas, ut mavult Baronius <sup>l</sup>, cum  
 historiam seu potius fabulam discuit  
 & confutat Trajani ab inferis Gregorii  
 precibus liberati. Illud etiam hoc loco ob-  
 servandum quod mens prophetæ duplici-  
 ter à Deo instruitur, vel per expressam re-  
 velationem, vel per occultum instinctum.  
 Est autem inter utrumque modum nota-  
 bile discrimen: nam cum Propheta ex divi-  
 na revelatione loquitur, semper discernere

<sup>l</sup> Baron. To. 8. an. 604. V. 4. g. in 3. p. 10. 2. d. sp. 117. c. 6.



300 DE DISCRETIONE

potest quid per spiritum propheticum, quid per proprium dicat, siquidem certissime cognoscit revelationem à Deo esse, & si per somnium ea sit, agnoscens postea rei veritatem, jam somnii voce non utitur; sicut Jacob expergefactus ait *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam: Et Princeps Apostolorum ab Angelo eductus de carcere nesciens verum esse quod fiebat, post discessum Angeli in se reversus dixit, Nunc scio verè quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis. Cum verò ex instinctu loquitur, aliquando fieri potest, ut proprii spiritus suggestio sit, quam Dei esse arbitratur. Docet item Augustinus quod sapius humanæ mentes hunc instinctum patiuntur, nescientes quid dicant, & prædicentes quæ non intelligunt: sicut Caiphas prophetiæ instinctu, sed verum sensum verborum ignorans, Christum moriturum pro humani generis redemptione prophetavit. Rationem hujus discriminis ex eo deducit S. Thomas, quod hic instinctus est quidam imperfectum in genere prophetiæ, unde si quid per illum manifestatur, propheticam certitudinem, & intelligentiam*

*m Gen. 28. 15. n Act. 12. 11. o De Gen. ad lit. l. 2. c. 17. & de Trin. 4. 6. 17.*

SPIRITUUM CAP. XVII. 301

revelationi annexam non habet.

III. Error Montani fuit, Prophetas veluti amentes ac furiosos extra se positos, locutos esse quæ ignorabant, nulloque sermoni præfixo scopo veluti in ventum verba jactasse. *Verum, ut rectè Basilius Magnus asserit, id abhorret à professione divine presentia, ut amentem reddat, qui à numine corripitur: cumque plenus divinorum decretorum esse cœperit, tunc à propria mente etiam excidat; & qui aliis à sese præbeat militatem, ipse ex propriis sermonibus nihil capiat utilitatis. In summa quid consentaneum est, ut quis ex sapientiæ spiritu simillimus insano reddatur? Quin potius, nequè lumen cecitatem parit, verum videndi vim à natura instam expergefaccit: neque spiritus tenebras inducit animis, sed ad contemplationem rerum intelligibilium mentem à peccati maculis purâ exigit. Non dissimile veri est improbam demonum vim natura humana insidiantem confundere mentem: at si quis dicat, spiritus divini presentiam hoc idem efficere, hic impie dixerit. Agnoscimus quidem in visionibus imaginariis, ut supra ostensum est, abstractionem à sensibus: sed hæc abstractio sive ecstasis ad naturales sensuum functiones referri*

*p Præm. in Isayam.*



debet, non ad mentis insaniam: pars enim præcipua animæ & vis intelligendi ejusmodi alienationis est expers, ut prolixè Epiphanius <sup>9</sup> adversus Montanum, ejusque insanas mulieres demonstrat. Tertulianus <sup>r</sup>, tametsi Montani assecla, ecstasin amentiam vocat, quod in ea mens extra se, vel supra se elevatur. *Ecstasin dicimus sensus & amentia instar. Hoc erit proprietas amentia hujus, quia non fit ex corruptela bone valetudinis, sed ex ratione nature: nec enim exterminat, sed avocatur mentem.* Et alibi <sup>r</sup> agens de Christi transfiguratione ait, *gratia ecstasin id est amentiam passum fuisse Petrum, cum dixit, Bonum est nos hic esse. In spiritu enim homo constitutus, præsertim cum gloriam Dei conspicit, vel cum per ipsum Deus loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute divina. Interim facile est amentiam Petri probare. Quomodo enim Moysen & Eliam cognovisset, nisi in spiritu, non in sensu constitutus? Cum vero aliquid per species sensibiles ostenditur, ut rubus Moysi, & scriptura in pariete Danieli: aut cum mens prophetæ illustratur lumine intelligibili,*

<sup>9</sup> Har. 48. r De Anima cap. 45. l Adv. Maer. lib. 4. c. 22.

nulla fit à sensibus abstractio <sup>r</sup>; nec ullo modo est necessaria, nisi fiat revelatio per impressionem novarum specierum in phantasia, aut per novam phantasmatum præexistentium coordinationem: quia vis imaginaria, cum quis utitur sensibus, his intenta est, quæ per sensus accipiuntur, nec ad ea transferri potest, quæ aliunde immittuntur. Perfectum autem prophetice visionis judicium non in ipsa abstractione fit, quia tunc ligatus est sensus, qui est principium nostræ cogitationis: sed cum homo à somno sive ab ecstasi excitatur, quæ prius viderat superno lumine illustratus intelligit, & discernit. Quod si visio purè intellectualis sit, licet in parte superiori animæ quoad receptionem & quoad judicium perficiatur; ut tamen verbis exprimi & aliis communicari possit, congruæ imagines formantur in phantasia, in quas decidit intellectus ab intelligibili puritate, sicut explicat S. Thomas <sup>u</sup> in questionibus disputatis, ubi proposito hoc dubio, *An potentia sensitiva remaneant in anima separata*, affert pro parte affirmativa argumentum ex histo-

<sup>r</sup> S. Thom. de Ver. qu. 12. art. 9. & 12. u qu. unica de Anima art. 19. ad 18.



304. DE DISCRETIONE  
 ritus sanctorum, in quibus legimus mor-  
 tuos nonnunquam ad vitam revocatos,  
 qui quædam imaginabilia se vidisse nar-  
 rabant, domos, campos, flumina: cui  
 objectioni respondens ait eorum quæ ani-  
 ma separata apprehendit absque phantaf-  
 matibus, remanere in ea cognitionem,  
 cum iterum corpori conjungitur, cum  
 conversione ad phantasmata; & ideo quæ  
 intelligibiliter vidit, imaginabiliter narrat.  
 Simili modo Paulus Apostolus \* post-  
 quam cessavit videre Deum in tertio cœ-  
 lo, ad quod mirabiliter raptus fuit; me-  
 mor fuit eorum, quæ in illa visione co-  
 gnoverat, per aliquas species in intellectu  
 suo remanentes, quæ erant quasi quædam  
 reliquæ præteritæ visionis: ex quibus per  
 applicationem ad particulares intentio-  
 nes vel formas in memoria vel in imagi-  
 natione conservatas, poterat postmo-  
 dum eorum, quæ prius viderat recordari,  
 etiam secundum actum memoriæ, quæ est  
 potentia sensitiva. Lumen enim divi-  
 num absque imaginibus in intellectu  
 susceptum vim habet splendorem suum  
 derivandi in phantasmata, ibique imagines  
 formandi, quibus anima possit quæ spi-

\* De Verit. qu. 13. art. 3. ad 2.

ritualiter

ritualiter intellexerat, sensibiliter perci-  
 pere. Notat autem Angelicus doctor  
 visionem, qua res videntur per conversio-  
 nem ad phantasmata à lumine intellectu-  
 ali excitata, aliam esse & diversam ab illa  
 qua res videntur in Deo. An verò detur  
 vel dari possit in hac vita mortali pura vi-  
 sio intellectualis absque interventu phan-  
 tasmatum, magna & prolixa quæstio est  
 multis difficultatibus obvoluta, qua-  
 rum solutio ad hunc locum non spectat.  
 Negant ut plurimum Scholastici, affir-  
 mant Mystici: illi tamen fateri debent nul-  
 lam esse rationem, quæ persuadeat id non  
 posse aliquando ex speciali divinæ gratiæ  
 largitate concedi: & ipsi Mystici rarissi-  
 mum esse hoc donum aiunt, viris dumtaxat  
 sanctissimis & perfectissimis concessum.

IV. Ex his palam fit arduam rem esse, &  
 viris etiam doctissimis valde difficilem, vi-  
 siones imaginarias ab intellectualibus di-  
 stinguere. Id enim ex rebus quæ sub revela-  
 tionem cadunt definiri non potest, nam de  
 rebus omnino à materia sejunctis imagina-  
 ria quandoque apparitio est, de materia-  
 libus intellectualis: neque ex phantaf-  
 matibus, quia etiam in intellectuali in-

y. 1. p. qu. 12. art. 9. ad 2.

Co



306 DE DISCRETIONE

terveniunt aliquando phantasmata. Ea est enim potentiarum animę subordinatio & connexio, ut una alterius operationi deserviat, sensus externus interno, hic intellectui. Ipse quoque perceptiones supernaturales in intellectu immediatę à Deo impressę vix ita possunt in eo persistere, quin ad inferiores potentias deriventur, quatenus ex veritate absque phantasmatu velamine perfecta simulacra formentur, quibus utatur, ut alios instruere quis possit, & quę vidit enarrare. Modus autem, quo hæc fiunt inexpertis ignotus est. *Quę viderunt* Prophetę, ait Chrysostomus <sup>2</sup>, quoniam pacto viderint, non est nostrę facultatis exprimere: modum enim visionis huiusmodi nemini possibile est edisserere, præterquam ei & soli, qui doctrine experientia perspicuę didicit. Quo ergo res ista clariüs elucescat, audiendus Bernardus est, qui & cęlesti sapientia imbutus & propria eruditus experientia abdita divinarum perceptionum mysteria mellifluo sermone sic explanat <sup>a</sup>. *Divina sunt, & nisi expertis prorsus incognita quę effamur, quomodo videlicet in hoc mortali corpore, fide adhuc habente statum, &*

*In cap. 1. Isaię. a Ser. 41. in Cant.*

SPIRITUUM CAP. XVII. 307

*necdum propalata perspicui substantia luminis, jam tamen pura interdum contemplatio veritatis partes suas agere intra nos vel ex parte præsumit, ita ut liceat usurpare etiam alicui nostrum, cui hoc datum desuper fuerit, illud Apostoli, Nunc cognosco ex parte. Item, ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem divinius aliquid rapim & veluti in velocitatę cornu scę luminis interluserit menti spiritus excedenti, sive ad temperamentum nimii splendoris, sive ad doctrine usum: continuo, nescio unde, adsunt imaginaria quedam rerum inferiorum similitudines infusus divinitus sensus convenienter accommodata, quibus quodammodo adumbratus purissimus ille ac splendidissimus veritatis radius, & ipsi animo tolerabilior fiat, & quibus communicare illum voluerit, capabilior. Existimo tamen ipsas formari in nobis sanctorum suggestionibus Angelorum, sicut è contrario contrarias & malas ingeri immisiones per Angelos malos dubium non est. Et forassis hinc illud est speculum atque enigma, ut dixi, per quod videbat Apostolus ex istiusmodi puris pulchrisque imaginationibus Angelorum quasi manibus fabricatum: quatenus & Dei esse quod purum & absque omni*

C c ij



phantasia corporearum imaginum cernitur, sentiamus: & elegantem quamlibet similitudinem, qua id dignè vestitum apparuerit, ministerio deputemus angelico. Hæc Bernardus explicans illud Canticorum, *Murenu- las aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*: per aurum intelligens fulgorem divinitatis, cui Angeli superni aurifices inferunt & figurant veritatis quædam signacula, spirituales nimirum similitudines, quarum interventu purissima divinæ sapientiæ sensa animæ conspectibus important, ut saltem videat per speculum & in ænigmate, quod nondum potest facie ad ad faciem intueri. *Neque aliter*, ut ait Dionysius <sup>b</sup>, *lucere nobis potest divina veritatis radius, nisi sacrorum varietate operimentorum anagogicè obvelatus, nobis quoque paterna providentia connaturaliter ac propriè accommodatus*. Nam & rerum divinarum sublimitas intellectus nostri capacitatem excedit, & nobis connaturale est à sensibilibus ad intelligibilia ascendere, & si quæ nobis divinitus per species infusas manifestantur, ea tamen quoad usum ab imaginibus pendent, vel à notitia intellectuali resultantibus, vel Angelorum mi-

<sup>b</sup> Cal. hierar. c. 1.

nisterio efformatis, sic exigente naturæ nostræ conditione, quamdiu in hoc exilio peregrinatur.

V. His ita delibatis, servata à nobis methodus requirit, ut aliquot regulas sive indicia tradamus, quibus lumen divinum à naturali, verique prophetæ & veræ prophetiæ à falsis discernantur.

1. Et prima quidem ac præcipua veri prophetæ nota veritas est; verus enim censeretur debet, qui vera prædicat: falsus, qui mendax est. Tradidit hanc regulam in scripturis suis Spiritus sanctus, ubi postquam edixit falsos Prophetas interficiendos esse, qui arrogantia depravati ausi fuerint in nomine ipsius loqui, quæ ipse præcepisset, ait: *Quod si tacita cogitatione responderis, Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenit; hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum*. Huic tamen regulæ duo sunt, quæ obstare videntur. Nam primò multa futura à pseudoprophetis prædici scimus, quæ postea eveniunt.

<sup>c</sup> Dent. 18. 20.



NO DE DISCRETIONE

Deinde ex scripturis constat non omnia ; quæ à veris Prophetis prænunciata sunt , adimpleta fuisse . Sed facilis est ad hæc objecta responsio . Ad primum enim dicimus multa esse occulta , & à quorundam hominum cogitatione remota , quæ naturalem dæmonum notitiam non excedunt , & hæc possunt prophetis suis indicare , ut ex illorum revelatione nomen sibi concilient , & incautos decipiant ; futura autem contingentia , & quæ nullo modo ab hominibus cognosci possunt , non nisi Deo revelante prædicuntur , ut supra ostensum est . Altera objectio duplici distinctione tollitur . Prædictio enim vel absoluta est , vel comminatoria : illa semper adimpletur ; hæc annexam in se & latentem conditionem habet , nisi peccatores futuri supplicii comminatione perterriti egerint pœnitentiam . *Repente loquar* , dicit Dominus *d* , *adversum gentem & adversum regnum , ut eradicem & destruiam & disperdam illud . Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo , quod locutus sum adversus eam ; agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitavi , ut facerem ei : & subito loquar de gente &*

d Jerem 18. 7.

SPIRITUUM CAP. XVII. 311

*de regno , ut adificem & plantem illud .* Exemplum hujus comminationis habemus in Jonæ prædicatione , qua Niniven subvertendam esse post quadraginta dies prædixit , nihilominus statuto tempore lapsa non est subversa ; quia videlicet pœnitentiam egerunt viri Ninivite , & Dominus pepercit eis , donec pœnitentiæ impedimentum iram ejus compescuit ; sed eo postea remoto propheta Jonæ exitum suum sortita est , & civitas eversa , sicut Tobias morti proxinus filio suo indicavit dicens : *Propè erit interitus Ninive , non enim excidit verbum Domini .* Deinde ex doctrina & distinctione Angelici Doctoris *f* , futura contingentia duplici modo cognosci possunt : vel sicut sunt in seipsis , quatenus scilicet conspiciuntur ut præsentia & realiter existentia : vel ut sunt in suis causis creatis & contingentibus . Primo modo cognita eveniunt semper & infallibiliter , sicut prædicuntur . Altero modo non semper eveniunt , nec tamen prædictiones sunt falsæ , quia sic non aliud significant , quàm ordinem & dispositionem causarum talem esse , ut

e Tob 14. 6 & 2. 2. q. 171. art. 6. ad. 2. & de Ver. q. 2. art. 11.



DE DISCRETIONE  
 effectus prænunciati omnino futuri sunt ;  
 nisi causæ divinitus impediatur. Ita Re-  
 gem Ezechiam moriturum prædixit Isaias  
 Propheta <sup>s</sup>, nec tamen eo morbo mortuus  
 est : nam morbus quidem lethalis erat,  
 sed Dei misericordia ab imminente morte  
 ereptus fuit, & immoto manente divi-  
 no consilio Rex mortem evasit, quam illi  
 jubente Deo Propheta annunciaverat.  
*Cum ergo exterius, ut appositè Gregorius  
 ait <sup>b</sup>, mutari videtur sententia, interius  
 consilium non mutatur : quia de unaquaque  
 re immutabiliter intus constituitur, quic-  
 quid foris mutabiliter agitur.*

2. Veritas Prophetiæ in re ipsa à Deo re-  
 velata consistit, non in ejus intelligentia :  
 semper enim verum est quod summa &  
 incommutabilis veritas loquitur, quam-  
 vis ab homine non intelligatur : neque  
 repugnat quod revelatio sit vera & à Deo,  
 ejus autem explicatio falsa & ab homine,  
 qui eam aliter, quàm Deus intelligat, in-  
 terpretetur. Celeberrimum hujus rei  
 exemplum extat in vita S. Bernardi <sup>i</sup>. In-  
 dixerat vir sanctus bellum sacrum, toto  
 orbe Occidentali ad arma concurrente,  
 ut Orientalis Ecclesia à Barbarorum cap-

<sup>s</sup> Isai 38. <sup>b</sup> Lib. 16. mor. c. 17. <sup>i</sup> Lib. 3. c. 4.

tivitate

SPIRITUUM CAP. XVII. 313  
 tivate liberaretur. Prædicationem verò  
 non temerè, non proprio spiritu aggressus  
 est ; sed jubente & cogente summo Ponti-  
 fice, Deo autem cooperante & sermo-  
 nem confirmante sequentibus signis. Sed  
 quantis & quàm multiplicibus signis ?  
 Quanta vel numerare, nedum narrare dif-  
 ficile foret. Tot tamen miraculis confir-  
 mata expeditio exitum habuit infelicem :  
 nam tanta hominum multitudo, quæ cer-  
 tam sibi victoriam pollicebatur, dissipata  
 est, & vincens infidelibus justo Dei  
 judicio Christiani milites interierunt.  
 Hinc autem constat aliud hominum, aliud  
 Dei consilium fuisse : nam Deo imperante  
 & beneplacitum suum miraculis indican-  
 te exercitus congregatus est, sed homines,  
 qui terrena sapiunt, gloriam, divitias, & re-  
 gni Hierosolymitani recuperationem sibi  
 præfixerant ; Deus verò æternam eorum  
 salutem, qui in illa expeditione pro fide &  
 pro Ecclesia perempti sunt. Afflixit vehe-  
 menter Bernardum hic casus, ut ipse ad  
 Eugenium Pontificem scribit <sup>k</sup>, & quem  
 prius magno honore prosequerantur,  
 jam omnes damnabant ut pseudopro-  
 phetam atque impostorem. Deus verò

<sup>k</sup> Lib. 2. de Confid.

D d

servum suum consolatus est, nam Joannes Casemarii Venerabilis Abbas sic ad ad eum scripsit <sup>1</sup>. *Dictum est mihi quod de hac re, de via Hierosolyma loquor, quae non ita prosperè ut forsitan volebatis, contigit, multum tristamini, eo quod Ecclesia Dei vel gloria, non sicut desiderabatis, accrevit. Et post pauca. Videtur mihi quod omnipotens Deus de hac via multum fructum fecit, non tamen eo ordine, quo ipsi viatores arbitrabantur. Siquidem si hoc quod cœperant, sicut decet Christianos, justè ac religiosè prosequi vellent, Dominus cum eis esset, ac magnum fructum super eos perfecisset. Sed quoniam ipsi ad mala sunt devoluti, & hoc nequaquam Dominum à principio latere potuit, ut sua providentia in sui dispositione non falleretur, malitiam eorum in suam convertit clementiam, & immisit eis persecutiones & afflictiones, quibus purgati ad regnum pervenire possent. Sed ne in dubium veniat quod dico, quasi patri meo spirituali in confessione aperio, quod patroni loci nostri beatus Joannes & Paulus sapius nos visitare dignati sunt, quos ego super hac re interrogari feci, & hujusmodi sententiam responderunt,*

<sup>1</sup> Inret. ep. Bernardi. ep. 333.

*Dicebantque multitudinem Angelorum, qui ceciderant, de illis qui ibi mortui sunt, esse restauratam. Hæc ille consolatus Bernardum, quia res prosperè evenit, non secundum hominum desiderium, sed secundum Dei propositum. Ideo prudentissimè monuit Theodidacta virgo Theresia <sup>m</sup>, ne quis aliquid inconsulto confessario qui pius, doctus, & circumspectus sit; aggrediatur, quamvis certò sciat revelationem seu locutionem à Deo esse; fieri enim potest ut revelatio vera sit & divina, sed vera ejus significatio, rei que eventus lateat, sicut accidit in prænarata expeditione. Huc etiam referenda, ut diximus supra <sup>n</sup>, quorundam sanctorum prophetiæ & revelationes de futura Ecclesiæ reformatione, quæ hætenus nullum effectum sortitæ sunt, vel quia malitia hominum illis obicem posuit, piorumque conatibus collapsam disciplinam reparare cupientium obstitit: vel quia tempus à Deo statutum nondum advenit, nam mille anni ante oculos ejus tanquam dies hesternæ quæ præterit: & Joannes in Apocalypsi ea prædicturus, quæ nondum impleta sunt, tempus propè esse, & ea narraturum*

<sup>m</sup> Cast. anima manus. 6. c. 3. n. Cap. 8. § 3. o. Apoc. i.



316 DE DISCRETIONE

se assertit, *quæ oportet fieri citò*: tum Christi adventum ad iudicandum mundum commemorans, ac si ipsum jam venientem conspiceret, ait: *Ecce venit cum nubibus*: quia nimirum quotquot elapsa sunt secula à diebus Joannis usque ad præsens, & quæ deinceps usque ad extremam iudicii diem elabentur, quasi brevissimum momentum sunt respectu æternitatis.

3. Veri prophetae id tantum enunciant, quod Deus ipsis revelare dignatur, nec alia ratione prædictiones suas stabilire & confirmare solent, quàm quia *os Domini locutum est*: falsi hoc donum sibi temerè arrogant, atque omnibus petentibus semper respondent, ac si spiritus propheticus semper ad nutum illis adesset, cum tamen hæc gratia, sicut & cæteræ gratis datæ, nemini unquam per modum habitus, nisi soli Christo, concessa sit. Quod si aliquando veri prophetae, ut observat Gregorius <sup>p</sup>, aliquid per suum spiritum dicunt, sicut Nathan dixerat David, ut templum construeret, *hoc ab auditorum mētibus per Spiritum sanctum eruditi citius corrigunt. Prophetae autem falsi, & falsa denūciant, & alieni à sancto spiritu in sua falsitate perdurant.*

<sup>p</sup> Hom. 1. in Ezech.

SPIRITUUM CAP. XVII. 317

4. Propheta falsus esse convincitur, qui cum aliquid prædixerit, quod evenerit, falsam postea doctrinam prædicat, populumque avertit à cultu Dei & à via virtutis: signa enim doctrinam subsequi debent, non præcedere, sicut Christus ejusque discipuli nos docuerunt, qui prædicationem suam subsequenter miraculis & prænotionibus confirmarunt. Tradidit hanc regulam Dominus in Deuteronomio <sup>9</sup> his verbis. *Si surrexerit in medio tui prophetae, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & evenerit quod locutus est; & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis: non audies verba prophetae illius aut somniatoris; quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timeate: Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur.* Signis igitur & prædictionibus attendendum non est, quando is qui signa facit & futura prædicat, contraria pietati docet. Nam & Apostolus <sup>7</sup> etiam Angelo de cælo aliter evangelizati, quàm accepimus,

<sup>9</sup> Deut. 13. 1. <sup>7</sup> Gal. 1. 8.



3.8 DE DISCRETIONE

anathema imprecatus est. Et Vincentius Lirinensis ex allata Deuteronomii sententia elegantissimè ostendit, nemini credendum esse, quantavis doctrinà aut sanctitate polleat, si quid proferat divinis scripturis aut Apostolicis traditionibus contrarium: idque probat multorum exemplis, ac postremò Tertulliani, qui contra Moysi præceptum exsurgentes in ecclesia novellas Montani furias, & insana illa insanarum mulierum novitiū dogmatis somnia, veras prophetias adseverando, meruit ut de se quoque & scripturis suis diceretur, si surrexerit in medio tui propheta. Et mox, Non audies verba prophetæ illius.

3. Propriū est falsi prophetæ, inquit Chrysostomus, emota esse mentis, vim pati ac necessitatem, pelli, strahi, raptari tanquam furentem. Verus autem propheta non sic, sed cum mente sobria, & cum modestia ac temperante constitutione, & sciens qua loquitur, dicit omnia. Et infra, Demonis proprium est tumultum & furorem, & multam procreare caliginem: Dei autem est illuminare, & que oportet docere cum intelligentia. Ideo autem falsi prophetæ mente commota loquuntur, quia demonis impetum à quo

<sup>r</sup> Hom. 29. in 1. ad Cor.

SPIRITUUM CAP. XVII. 319

impelluntur, ferre non possunt: At qui à Deo aguntur, placidè, humiliter, & modestè proferunt, quæ ab illo acceperunt, docet enim eos omnium artifex sapiētia, in qua est spiritus intelligentia sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens.

6. Examinandus est finis prophetiæ qui est publica utilitas ecclesiæ, & privata fidelium ædificatio. Nam qui prophetat, inquit Apostolus, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem. Isaias quoque ait, Hac dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israël. Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas. Si quis igitur inutilia prædicit, si vanitates & insanias falsas, si curiosa & inania, quæ nec ædificant, nec instituunt ad salutem; nec peccatores ad pœnitentiam excitant, aut justos ad incrementa virtutum; hic falsus propheta est. Docet autem S. Thomas, nullo unquam tempore defuisse prophetas, non quidem ad novam doctrinam fidei depromendam,

<sup>r</sup> Sap. 7. 21. U 1. Cor. 14. 3. x Isa. 48. 17. v. 2. 2. qu. 174 art. 6. ad 3.

sed ad humanorum actuum directionem : quod enim attinet ad fidem jam promulgato Evangelio publicæ revelationes necessariæ non sunt. An verò privatæ, quæ servis & amicis Dei nonnunquam fiunt, ad objectum fidei pertineant, adeo ut fide divina credendæ sint, sine auctoritate Ecclesiæ eas approbantis & proponentis. Agemus de hac controversia <sup>z</sup>, cum de revelationibus sermo erit. Quærent etiam nonnulli, an si quis spiritum prophetiæ habens alicui revelet suam damnationem, illi credere teneatur; sed certissimum est nullatenus illi credendum esse, repugnat enim statui viatoris hujusmodi revelatio, qua posita nec beatitudinem sperare possit, nec media ad eam consequendam adhibere teneretur. Si quæ tamen contingat, non tanquam absoluta & immutabilis prædictio accipienda erit, sed ut comminatio futuri supplicii iis infligendi, qui neglecta emendatione & pœnitentia in peccatis suis moriuntur.

7. Christus redemptor noster, cum discipulos suos monuisset cavendum esse à falsis prophetis, hoc ad eos dignoscendos indicium tradidit <sup>a</sup>, *A fructibus eorum cognoscetis eos*: ut enim ex fructibus arbor,

<sup>z</sup> Cap. 20. S. 1.    <sup>a</sup> Matth. 7. 15.

sic ex moribus & ex doctrina propheta verus à falso discernitur. Non quod bonitas morum, sicut asserit S. Thomas <sup>b</sup>, ad prophetiam necessaria sit, si interiorem ejus radicem respiciamus, quæ est gratia gratum faciens: tum quia datur ad utilitatem Ecclesiæ, sicut & aliæ gratiæ gratis datæ; charitas verò ut uniat animam Deo, hæc autem duo separari possunt: tum quia pertinet ad intellectum, cujus actus præcedit actum voluntatis, qui perficitur à charitate. Sed quia requiritur ad prophetandum maxima mentis elevatio ad spiritualium contemplationem, hæc autem à pravitate vitæ impeditur; ideo hoc donum à Deo ut plurimum hominibus sanctis tribuitur, & ex eo desumi solet certissimum sanctitatis argumentum <sup>c</sup>: *quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: sed in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit.* Quorum igitur vita pravis moribus contaminata est, eorum prædictiones spernendæ sunt. Hi sunt enim qui falsis vaticiniis plebem seducunt, & mendacibus revelationibus incautos decipiunt, de qui-

<sup>b</sup> 2. 2. q. 172. art. 4.    <sup>c</sup> Sap. 1. 4. Sap. 7. 27.

bus ait Jeremias <sup>a</sup>, *Propheta tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam: ut te ad pœnitentiam provocarent. Hi sunt*, inquit Chrysostomus <sup>e</sup>, *qui quod execrantur admittunt, quod prohibent faciunt, apud quos innocentia culpatur, culpa pro innocentia ducitur; apud quos peccare justum est & justitiam exercere nefandum: ubi certant facta cum dictis, dimicat doctrina cum factis. A fructibus eorum cognoscetis eos. Plura de his infra <sup>f</sup>, cum de discernendis revelationibus sermo erit.*

<sup>d</sup> *Thren. 2. 14. e* *Hom. 12. in varia Matt. loca. f* *Cap. 20.*

## CAPUT XVIII.

*De visione intellectuali. Quid sit, & quomodo fiat. Sanctorum testimoniis elucidatur. Cur inexplicabilis dicatur. Qui sint ejus effectus, quod objectum. Immunis est ab illusionibus. Triplex modus divina visionis.*

**D**E visione corporali & imaginaria factis, ut arbitror, dictum est. Restat nunc intellectualis, de qua nonnullæ difficultates jam supra <sup>a</sup> expeditæ sunt, ostendi enim eam cæteris difficiliorem & excellentiorem esse, & non nisi à Deo

<sup>a</sup> *c. 8 & 15.*

**SPIRITUUM CAP. XVIII. 323**  
 effici posse: tum Capite proximo explicavi quàm difficile sit eam ab imaginaria discernere, quibusve modis hominibus manifestari verbis & signis sensibilibus queant, quæ intellectualiter visa sunt. Nunc breviter exequar quid sit, & quomodo fiat. Est igitur visio intellectualis clarissima rerum divinarum manifestatio, quæ in solo intellectu absque figuris & imaginibus perficitur. Fit autem duplici modo, vel cum mens humana Spiritus sancti gratia illuminatur, ut ea intelligat quæ corporali sive imaginaria apparitione sensibilibus signis representata sunt: vel quando immediatè per species intellectui à Deo infusas divina mysteria percipiuntur. Porro clare & distincte hujusmodi species intellectui imprimuntur, nullo ejus actu interveniente, nisi quod in se recipit divinas operationes: quas si recipiat quasi videns, visionem vocamus; si veluti audiens, locutionem dicimus, de qua supra egi <sup>b</sup>; si aliquid discens vel intelligens, revelationem nuncupamus, qua vel aliqua veritas occulta, vel arcana mysteria deteguntur. Dissertit de his prolixè Venerabilis Pater Joannes à Cruce <sup>c</sup> in Ascensu mon-

<sup>b</sup> *Cap. 8. c* *Lib. 2. cap. 23. & seqq.*



324 DE DISCRETIONE  
ris Carmeli. Porro hæc visio fieri dicitur  
in apice mentis, videlicet in intellectu,  
non quatenus ratiocinatur, sed sicut sim-  
plici intuitu res sibi objectas videt & con-  
templatur. Hujus generis fuerunt Moy-  
sis <sup>d</sup> & Pauli visiones, quando illi offen-  
dit Dominus gloriam suam & omne bo-  
num: hic verò raptus in tertium cælum  
audivit arcana verba, quæ non licet homi-  
ni loqui. Et alii quidem in ecstasim rapti  
secreta Dei videre meruerunt: aliis verò  
vigilantibus, cunctisque sensibus liberè  
utentibus divina revelatio contigit, sicut  
Nathan vigilans procul dubio David re-  
gem de peccatis redarguit, vixque ille pro-  
tulerat salutiferum illud *Peccavi*, cum sta-  
tim in sermone Domini dixit illi, *Dom-  
nus transtulit peccatum tuum: non morieris:*  
tum eidem indicavit filium, quem pepere-  
rat uxor Uriæ, moriturum: hæc autem non  
aliter scire potuit, quàm ex ore Domini lo-  
quentis intus menti ipsius ineffabiliter, ut  
ait Augustinus <sup>e</sup>, non spectabili forma,  
non voce sensibili ad aures vel ad imagina-  
tionem personante, sed prorsus intellectu-  
ali locutione, qua *Veritas incommutabilis  
per seipsam ineffabiliter loquitur rationalis*

<sup>d</sup> Exodi 33. c. 2. Cor. 12. f. 2. Reg. 12. g. De Civ. Dei  
lib. 16. c. 6.

SPIRITUUM CAP. XVII. 325  
*creature mentibus.* Bene autem hæc locu-  
tio ineffabiliter fieri dicitur, quia mens  
humana verba Dei intellectualiter perci-  
piens supra communem hominum con-  
ditionem ad Angelorum consortium ele-  
vatur. *Quando enim, teste Augustino,  
nos aliquid talis locutionis interioribus  
auribus capimus, Angelis propinquamus.*

II. Hujus Angelicæ felicitatis consors  
fieri optabat Bernardus, ut puram cum  
illis conversationem haberet, cum quibus  
est puritatis similitudo. *Rerum etenim cu-  
piditatibus, ait ille, vivendo non teneri,  
humane virtutis est: corporum verò simili-  
tudinibus specularando non involvi, Ange-  
lica puritatis est: utrumque tamen divini  
muneris est, utrumque excedere, utrumque  
teipsum transcendere est. Beatus qui dicere  
potest, Ecce elongavi fugiens, & mansi  
in solitudine. Transilisti carnis oblecta-  
menta, ut minimè jam obedias concupiscen-  
tiis ejus, nec tenearis illecebris: profe-  
cisti, superasti te, sed nondum elongasti,  
nisi & irruentia undique phantasmata cor-  
porearum similitudinum transvolare men-  
tis puritate prævaleas.* Huic autem visio-  
ni purè intellectuali nulla potest diabolica  
<sup>h</sup> Ser. 52. in Cant,

Illusio intercedere, sive rerum in intellectu representatio per species à Deo infusas consideretur, sive iudicium de rebus eisdem, quod fit per lumen desursum veniens à Patre luminum: nam cum hæc duo à sensu & imaginatione non pendeant, nulla est creatura, quæ possit se illis immiscere. Quando autem hæc visio ab imaginatione incipit, vel in eam desinit, modo supra explicato, nulli dubium est, quin possit Angelus bonus ad eam cooperari, & malus similiter excitatis phantasmatis animæ illudere. Sed quia difficile est visionem purè intellectualem ab ea discernere, quæ cum admixtione phantasmatum fit, magnam in omnibus cautelam & diligens examen in huiusmodi perceptionibus adhibere oportet, ne quis fortè incautus & inexpertus subtilissimis vaserrimi hostis fraudibus circumveniat. Modus item, quo hæc visio fit, difficilis explicatu est, ac ferè imperceptibilis, non solùm his qui sensuum iudicium in omnibus sequuntur, de quibus scriptum est <sup>i</sup>, *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei*; sed illis etiam qui mentis acumine sensuum ope-

<sup>i</sup> 1. Cor. 2. 14.

SPIRITUUM CAP. XVIII. 327  
rationes transcendunt. A me igitur sedente in tenebris & in umbra mortis, divinarumque perceptionum inexperto nemo visionum intellectualium explicationem expectet; quandoquidem ipsimet viri sancti illis assueti, cum hæc divina charismata, aut præcepto superioris aut charitate urgente, manifestare nituntur, vix verba inveniunt, quibus latentia animi sensa ad aliorum notitiam proferre queant. Ut verò una eademque opera & dicto meo fidem conciliem, & modus, quo visio intellectualis fit, quantum fieri potest intelligatur; operæ pretium erit quosdam ex illis audire qui visiones ac revelationes divinitus acceperunt.

III. Occurrit primo loco maximus Ecclesiæ doctor Augustinus, qui colloquium habitum cum matre sua ex hac vita paulò post exitura enarrans, visionem intellectualem ejusque modum ita describit <sup>k</sup>.  
*Si cui sileat tumultus carnis, sileant phantasia terre & aquarum & aëris. Sileant & Poli, & ipsa sibi anima sileat & transeat se, non se cogitando. Sileant somnia & imaginaria revelationes, omnis lingua & omne signum, & quicquid transeundo sit,*

<sup>k</sup> Lib. 9. Conf. 7. 10.



## 328 DE DISCRETIONE

*si cui sileat omnino. Quoniam si quis au-  
diat dicunt hæc omnia, Non ipsa nos fe-  
cimus, sed fecit nos qui manet in æternum.  
His dictis, si jam taceant, quoniam ere-  
xerunt aurem in eum qui fecit ea; & loqua-  
tur ipse solus, non per ea, sed per seipsum,  
ut audiamus verbum ejus, non per linguam  
carnis, neque per vocem Angeli, nec per so-  
nitum nubis, nec per enigma similitudinis:  
sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine  
his audiamus: sicut nunc extendimus nos,  
& rapida cogitatione attingimus æternam  
sapientiam super omnia manentem, si con-  
tinuetur hoc, & subtrahantur alie visiones  
longè imparis generis, & hæc una rapiat &  
absorbeat & recondat in interiora gaudia  
spectatorem suum: ut talis sit sempiterna  
vita; quale fuit hoc momentum intelligen-  
tia, cui suspiravimus: nonne hoc est, In-  
tra in gaudium Domini tui? Hæc Augu-  
stinus, ex cujus incomparabili sapientia  
discimus, tunc animam elevari ad divi-  
nam locutionem in apice mentis perci-  
piendam, cum silent omnes creaturæ,  
cum cessant omnes imaginationis opera-  
tiones, & ipse Deus immediatè nullo ad-  
hibito Angelorum ministerio se animæ  
videndum exhibet, eamque alloquitur,  
tantam*

SPIRITUUM CAP. XVIII. 329  
tantam ei communicans lucis & gaudii  
plenitudinem, ut hoc sublime donum non  
dubitaverit æternæ felicitati comparare.  
Sequitur Augustinum doctrinæ ejus secta-  
tor Aëlredus Abbas Rievallis, qui de vi-  
sione intellectuali sic loquitur <sup>1</sup>. Intelle-  
ctualem illam dicimus visionem, qua mens  
omne corpus, omnesque corporeas imagi-  
nes ac similitudines transcendens in ipsa  
luce veritatis requiescit, in qua vera & ve-  
rè sunt omnia præterita, præsentia, & fu-  
tura: nec aliter futura quàm præterita.  
Tum refert exemplum cujusdam sanctæ  
Virginis ad hujusmodi sublimem visio-  
nem raptæ, que cum omnem mundi amo-  
rem, ac carnales omnes affectus, curamque  
corporis omnem, & exteriorum sollicitudi-  
nem à suo pectore exclusisset, cœpit quodam  
mentis estu & fastidire terrena, & deside-  
rare cœlestia. Accidit autem aliquando, ut  
cum amore solito orationi incumberet, mira  
quædam suavitas superveniens omnes animi  
motus, omnes cogitationum excursus, omnes  
in super spirituales, quos circa amicos habe-  
bat, extinxerit affectus: moxque anima  
ejus quasi oneribus que in mundo sunt valedi-  
cens, rapitur supra se, & ab ineffabili

<sup>1</sup> Serm. 2. de oneribus.



quadam & incomprehensibili luce ex-  
cepta, nihil aliud videbat nisi quod est,  
& quod omnium esse est. Neque lux il-  
la corporea fuit, aut aliqua corporis si-  
militudo: nec distendebatur, nec diffun-  
debatur; ita ut ubique videretur; nec ipsa  
tenebatur, & tenebat omnia; & hoc miro  
& ineffabili modo, sicut esse tenet quicquid  
est, & veritas quicquid verum est. Hac  
igitur luce perfusa ipsum Christum, quem  
prius noverat secundum carnem, coepit  
jam secundum carnem non nosse: quia spiri-  
tus ante faciem ejus Christus Iesus in ipsam  
eam induxerat veritatem. Tandem con-  
cludit sermonem sanctus Abbas asseren-  
do, quod quicquid aliis visionibus cerni-  
tur ambiguum est, aut fide magis quam  
scientia roboratur: quod autem in ipsa  
cernitur veritate, & luminosum & cer-  
tum est.

IV. Aliam similem visionem de se nar-  
rat S. Teresa in vita sua <sup>m</sup>, quam brevi  
compendio referam. Die quodam festo  
gloriosi Apostoli Petri, cum essem, ait  
illa, in oratione, videbam seu potius  
animadvertēbam, oculis enim corporis  
vel animæ nihil penitus videbam, sed

Christus prope me esse videbatur, & sen-  
tiebam ipsum esse, qui mihi loquebatur:  
verum quia non erat visio imaginaria,  
non percipiebam qua forma esset, hoc  
tantum sentiens quod lateri meo astaret,  
& testis esset quarumcunque mearum  
actionum. Hujus autem visionis ignarā  
eam protinus confessario indicavi, qui  
petiit à me qua forma ipsum viderem.  
Dixi me illum non videre: tum ille rur-  
sum rogavit, unde scirem esse Christum,  
 respondi me nescire, verumtamen certò  
scire quod prope me esset, idque clarè ex  
eo cognoscebam, quod in oratione quie-  
tis diutius cum singulari & insolita animi  
tranquillitate morarer, & uberiores ex ea  
fructus perciperem. Conabar variis simi-  
litudinibus ipsam visionem explicare, sed  
nullam ad hoc idoneam & sufficientem in-  
veni; nec verba occurrebant, quibus eam  
perspectam facere possem. Si enim dico  
me nec corporeis nec interioribus oculis  
Christum conspicerem, quomodo scio, mi-  
hique persuadeo eum apud me esse, id-  
que clariùs & evidentiùs, quam si ipsum  
oculis intuerer? Certè per quamdam no-  
titiam, quæ sole clarior est, Dominus  
animæ præsentem se exhibet: nec tamen



332 DE DISCRETIONE

asserero solem hęc aut ullam claritatem videri; sed est lux quaedam, quę sine ulla lucis visione intellectum illuminat, ut anima tanto bono perfruatur. Perinde hoc fit, ac si aliquis cibus in stomacho sit, quem homo non comederit, nec quomodo illuc venerit, sciat; noverit tamen ibi esse, tamen etsi nesciat qualis sit, & quis eum stomacho ingesserit. Hęc autem visio ita spiritualis est, ut nulla in potentiis aut sensibus concitatio sit, ex qua aliquid ad rem suam pertinens possit dęmon elicere. Sic differit de hac visione Teresia, ac eadem ferę repetit in Castro animę<sup>n</sup>, illud ubique inculcans non posse animam verbis exponere illud quod videt, imo nec intelligere aut comprehendere quomodo id cognoscat, licet certissima sit se ipsum cognoscere. Consonat Teresię B. Angela de Fulgineo<sup>o</sup>, cujus verba religiosi scriptoris simplici stylo hęc referam. *Quodam tempore eram in oratione, & respiciens vidi Deum mihi loquentem. Si autem quęras quid vidi, dico quod vidi ipsum, & aliud nescio dicere, nisi quod videbam unam plenitudinem, unam claritatem, de*

<sup>n</sup> *Mans. 6. cap. 8. o Vita ejus apud Bollandum 4. Jan. c. 3. num. 58.*

SPIRITUUM CAP. XVIII. 333

*qua sentiebam in me tantum implementum, quod ego nescio dicere, nec scio dare aliquam omnino similitudinem, nec vidi aliquid corporale, sed erat sicut est in celo, videlicet pulchritudo tanta, quod nescio aliquid aliud dicere, nisi quod vidi summam pulchritudinem continentem omne bonum: & omnes sancti stabant ante illam pulcherrimam majestatem ad laudandum eam: videtur autem mihi, quod in isto parum steteri. Et infra P. Videbam unam rem stabilem ita indicibilem mihi, quod de ea nihil possum dicere, nisi quod erat omne bonum, & anima mea erat in letitia omnino inenarrabili, & nescio si eram in corpore, vel extra corpus. Alia Sanctorum testimonia afferre possem asserentium modum hujus visionis nullis verbis, nulla creata similitudine explicabilem esse, sed supra dicta sufficiunt, omnes enim iisdem ferę verbis id contestantur.*

V. Omnes etiam in hoc conveniunt, quod hęc visio ab illusionibus immunis est. Potest quidem dęmon aliquid effingere, quod visioni intellectuali simile sit, idque animę inexpertę & minus cautę obtrudere: verum ficta ab hoste visio

P *lb. n. 66.*



334 DE DISCRETIONE  
multum à vera differt. & ab effectibus  
facile dignoscitur. Verè siquidem effectus  
sunt gaudium, pax, & tranquillitas ani-  
mæ, puritas, & illuminatio mentis, aug-  
mentum fidei & charitatis, humilitas, &  
elevatio spiritus in Deum. Falsa verò su-  
perbiam, sui æstimationem, animi per-  
turbationem, atque ariditatem producit.  
Illa diu permanet, & nunquam ferè à me-  
moria excidit, hæc citò desinit, & sicut  
fumus evanescit. Nullum autem certius  
indicium veræ visionis, quàm humilitas:  
cum enim Deo comparati nihil sumus, quo  
magis ad illum accedimus, eo clariùs  
cognoscimus nos nihil esse. Optime Gre-  
gorius Magnus 9: *Sapientia increata ha-  
bet essentiam, habet vitam; sed hoc quod  
habet ipsa est. Proinde incommutabiliter  
vivit, quia non ex accidenti, sed essentia-  
liter vivit. Solo igitur cum Patre & sancto  
Spiritu veraciter est, cujus essentia compa-  
ratum esse nostrum non esse est. Huic  
si conjungimur, sumus, vivimus, sapi-  
mus: huic si comparamur, nec sapimus,  
nec vivimus omnino, nec sumus. Hinc est  
quod sancti omnes, quando in Dei visione  
proficiunt, quanto magis Divinitatis in-*

SPIRITUUM CAP. XVIII. 335  
*terna conspiciunt, tanto magis se nihil esse  
cognoscunt. Porro visione intellectu-  
ali tam res corporeæ quàm incorporeæ vide-  
ri possunt. Et primò quidem Deus &  
singulæ personæ sanctissimæ Trinitatis:  
deinde Christus, B. Virgo, Angeli, &  
Sancti: tum multæ veritates, de quibus  
anima instruitur, sive ad fidem spectent,  
sive ad mores: res denique omnes mate-  
riales, licet absentes, quæ sunt in cælo,  
& in terra: nulla siquidem repugnantia  
est, quin possit objectum absens veluti  
præsens intellectui representari per spe-  
ciem aliquam & lumen supernaturale. Fit  
autem hæc visio sive notitia intellectu-  
alis duplici modo, uno quasi confuso, per  
certitudinem à Deo infusam, ut si quis  
Christum vel Angelum lateri suo adesse  
vel intus in corde cognoscat; tanta, imò  
majori certitudine, quàm si ipsum cor-  
porali oculo conspiceret, nulla ejus figura  
vel imagine efformata: altero claro &  
distincto, quo Deus aliquando videtur  
dilucidè quidem & manifestè, non ta-  
men intuitivè, & sicuti in se est. Media est  
hæc visio inter obscuram, quæ habetur  
in via per fidem, & claram in patria per  
lumen gloriæ, recedens à prioris obscu-*



336 DE DISCRETIONE  
ritate, sed ad posterioris claritatem non  
perueniens. Ex hac autem visione concei-  
pit anima maximam erga Deum venera-  
tionem, & ardentissimum amorem, ac  
desiderium serviendi illi in sanctitate &  
iustitia omnibus diebus vitæ suæ.

VI. Quod si hæc visio secundum præ-  
cipuum ejus objectum, quatenus scilicet  
fertur in Deum, consideretur, tres ejus  
modi à Theologis mysticis constituuntur.  
Primum vocant visionem Dei in caligine,  
de quo agit Dionysius, in initio mysticæ  
Theologiæ dicens. *Trinitas superessen-*  
*tialis, divinitate ac bonitate præstantior,*  
*Christianorum Theosophiæ dux, dirige nos*  
*ad mysticorum oraculorum superincogni-*  
*tum & supersplendidum, altissimumque*  
*fastigium, in quo simplicia & absoluta, ac*  
*inmutabilia Theologiæ mysteria abstrusa*  
*sunt in caligine superfulgida silentii arca-*  
*na docentis, quæ in obscuritate maximè te-*  
*nebrosa plusquam clarissimè superlucet, &*  
*in omnimoda impalpabilitate, & invisibi-*  
*litate superpulchris splendoribus mentes*  
*oculis carentes superadimplet. Et paucis*  
*interjectis illos ingredi divinam caligi-*  
*nem docet, qui cuncta pura atque impu-*

1 Cap. 2.

ra,

SPIRITUUM CAP. XVIII. 337  
ra, & omnem sanctorum fastigiorum  
ascensum supergrediuntur, & omnia di-  
vina lumina & sonos & sermones cœlestes  
transcendunt, & in ipsa caligine absorben-  
tur, ubi verè est, sicut ait scriptura, qui  
est super omnia. Tum affert exemplum  
Moylis, qui expiatus & ab omni po-  
pulo segregatus, postquam sonitum tu-  
barum audivit, viditque lumina multos  
radios jacentia, ab iis quæ videntur &  
vident expeditus, verè in caliginem igno-  
rationis ingressus est, & omni scientifica  
apprehensione exclusa, eo ipso quod ni-  
hil cognovit, ipsi Deo omni ex parte igno-  
to unitus, præstantiori modo ipsum agno-  
vit. Quid sit autem divina caligo idem  
clariùs alibi explicat his verbis, *Di-*  
*vina caligo lux est inaccessibleis, in qua*  
*Deus habitare dicitur, quæ nec cerni po-*  
*test propter eximiam & supereminentem*  
*claritatem, & inaccessibleis est propter exu-*  
*perantem divini luminis effusionem. Ad*  
*hanc pertingit quisquis Deum nosse ac vi-*  
*dere meruit: nam eo ipso quod neque vi-*  
*det, neque cognoscit, arctius illi jungitur*  
*qui omnem visionem & cognitionem trans-*  
*cendit, sciens ipsum super omnia esse, quæ*

1 Ecod. 19. 1 Ep 5. ad Doroth.

Ff



338 DE DISCRETIONE

in sensum & intelligentiam cadunt, dicens cum Propheta " Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est & non potero ad eam. Tunc itaque mens Deum videt in caligine, cum omnes creaturas atque omnes similitudines transcendens in Deum fertur tamquam ignotum & intelligibilem, idque magis conspicit quod non est, quam quod est: detegens in ea obscuritate immensam perfectionem, quæ omnem sapientiam, potentiam, bonitatem, pulchritudinem, & quicquid aliud concipi potest, in infinitum excedit. In qua visione posita anima, non propria industriâ, sed simplici quadam & improvisa inspectione à Deo immissa, præ admiratione & amore à seipsa deficiens, ejus quem non videndo videt immensitate quasi pelago absorbetur. Dicitur autem videre & non videre, quia ut ait Richardus \*, Sic illi Deus presentiam suam exhibet, ut faciem suam minimè ostendat. Dulcorem suum infundit, sed decorem suum non ostendit. Infundit suavitatem, sed non ostendit claritatem. Suavitas ejus sentitur, sed species non cernitur. Adhuc nubes & caligo in

u Ps. 138. x De grad. charit. vultu.

SPIRITUUM CAP. XVIII. 339

circuitu ejus: adhuc thronus ejus in columna nubis. Et si videt quasi in nocte; videt velut sub nube, videt per speculum in enigmate. Videt denique ignotum omnem de eo conceptum, omnemque cognitionem transiliens, quia nimirum, teste Gregorio Magno, cum mens in contemplationis sublimitate suspenditur, quicquid perfecte perspicere valet, Deus non est. Tunc ergo verum est, quod de Deo cognoscimus, cum plenè nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus. Idem quoque alio loco & sic loquitur. Revelatio conditoris, dum videtur & non comprehenditur, lux est inaccessibleis. Quicquid enim de omnipotenti Deo humana mens potest cogitare, Deus non est: sed dum cogitando cuncta transcendit; dum quicquid potest intime lucis, quicquid internæ suavitatis & dulcedinis, quicquid spiritalis delectationis sibi fingere, minus illa esse creditur. Ad quandam lucem tamen pervenit, quæ non est Deus, sed quam inhabitat Deus. Et quia tunc anima mirabiliter inflammatur, mirabiliter reficitur, ineffabiliter delectatione fruitur, cogitare compellitur, quam ineffabilis lux, dulcedo, & delectatio sit qua

1. Lib. 5: mor. c. 26. 2. Lib. 4. in Regum. 1.

*ipse sit; sitam immensa lux est illa quam inhabitat, & non est ipse.*

VII. Secundus modus divinæ visionis est, cum expulsis tenebris, quas posuit Deus latibulum suum, & disjecta caligine, ac dissipatis nubibus Deus ipse videtur, non quidem in sua claritate & in splendore meridiei, sed veluti in aurora, cum lux dubia & modica est: videtur inquam notitia quadam inexplicabili & clariori quàm si oculo corporis lumen materiale videretur. Anima siquidem ad hanc visionem speciali Dei gratiâ elevata videt unico intuitu essentiæ divinæ unitatem, & personarum Trinitatem: quomodo Pater generat Verbum, quomodo ab utroque procedit Spiritus Sanctus. Videt & intelligit ipsum Deum, sicut ait Augustinus <sup>a</sup>, *sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine sui presentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem.* Videt omnes creaturas ab ipso emanantes & dependentes: videt modum quo divinæ personæ animam inhabitant, sicut

<sup>a</sup> Lib. 5. de Trinit. cap. 1.

SPIRITUUM CAP. XVIII. 341  
 scriptum est <sup>b</sup>, *Ad eum veniemus & in visionem apud eum faciemus: & quia intimè in hoc statu adhæreret Deo, & suavitatem aternæ felicitatis prægustans, torrente voluptatis ejus inebriatur; ideo Teresa, quæ propria experientia hujus visionis celsitudinem & jucunditatem didicit, postquam eam sapientissime explicavit, spirituale quoddam conjugium inter Deum & animam ea mediante contrahi docet, sicut ait Apostolus <sup>d</sup>, *Qui adhaeret Deo unus spiritus est.* Nam si anima perfectè diligit, nupsit; ut ait Bernardus <sup>c</sup>. *Verè spiritualis sanctique connubii contractus est iste. Parum dixi contractus, complexus est.* Ergo quam videris animam relictis omnibus Verbo votis omnibus adherere, Verbo vivere, Verbo se regere, de Verbo concipere quod pariat Verbo: quæ possit dicere, mihi vivere Christus, & mori lucrum; puta conjugem, Verboque maritatum. Sed in his immorari non est hujus loci. Tertius denique & supremus gradus divinæ visionis ille est, quo divina majestas non jam per speculum & in ænigmate, sed clarè & intuitivè videtur sicuti est. Licet enim*

<sup>b</sup> Io. 14. 21. <sup>c</sup> Cast. anime mans. 7. c. 1. & 2. <sup>d</sup> 1. Cor. 6. 17. <sup>c</sup> In Cant. ser. 83. & 85.



342 DE DISCRETIONE  
 hæc visio non ad hoc ærumnosum exilium, sed ad futuram patriam pertineat, Deo ipso testante *Non videbit me homo & vivet*: quibusdam nihilominus sanctissimis & perfectissimis viris adhuc in carne degentibus hanc felicitatem singulari Dei munere contigisse, ut clara Dei visione veluti per transitum & in momento lumine gloriæ illustrati fruerentur, non ignobilium Theologorum, ut supra indicavimus, sententia est. Asserunt multi de Moyse, cui dixit Deus petenti & desideranti faciem ejus videre *Ego ostendam tibi omne bonum*. Asserit de Paulo Angelicus Doctor & de Benedicto Monachorum Patre Bernardus, qui de illa visione sermonem habens, qua Deus videtur facie ad faciem, & creaturæ videntur in creatore, ait: *Ad quam excellentiam, licet ad modicum, rapta fuisse videtur anima illa beata, sancti scilicet Benedicti, que collectum sub uno solis radio mundum universum conspexit: de quo miraculo beatus Papa Gregorius in libro Dialogorum scribens, Videnti, inquit, creatorem angusta est omnis creatura.*

f. Exod. 33. g. Ibid. h. 2. 2. q. 175. art. 3. i. Ser. 9. de diversis. k. Lib. 2. c. 35.

SPIRITUUM CAP. XIX. 343  
 Hæc Bernardus Gregorii Magni testimonio suffultus. Scio scolasticos hæc de re in varias sententias abire, sed ab eorum concertationibus hæc abstinendum est.

CAPUT XIX.

*Iterum de apparitionibus. Quid in his servandum, quid vitandum sit. Apparentium diversa genera. Deus, Angeli, & Sancti quomodo appareant. Divina apparitiones quibus notis ab angelicis discernantur. Varia Christi apparitiones. Imaginaria & corporalis distinctio. Demonum spectra, eorumque signa. Humanorum spirituum visiones. De cultu & adoratione apparentium.*

I. **A**pparitiones dicimus spirituum manifestationes, cum præter naturæ ordinem humanis rebus intersunt, seque sensibus nostris insinuantes suam nobis præsentiam certis argumentis exhibent & ostendunt. Apparitionem verò aliquo modo à visione differre supra indicavimus, nam cum sola apparentis species manifestatur, sed quis appareat ignoramus, apparitio propriè dicitur: at cum

<sup>a</sup> Cap. 15. §. 2.



apparitioni ejusdem notitia juncta est, tunc visio nuncupatur. Ipsi tamen hoc discrimen alios secuti negleximus. Omnes autem seu visiones seu apparitiones in hoc conveniunt, quod bonis & malis communes sunt: nec quispiam sanctior aut perfectior altero habendus est, quod illi spiritus appareant, iste hoc dono destituatur. Cæteris enim sanctior censetur, qui altiori posito humilitatis fundamento Deo per charitatem adhærere studet, ut ipsi placeat; non ut visiones obtineat, quas potius Domino largiente acceptas aut humiliter respuit, aut cum formidine suscipit, sciens in his multum periculi, parum utilitatis reperiri; pandique aditum diabolo ad varias fraudes & illusiones. Tutius ambulamus per fidem, cujus lumen cunctas excedit visiones, & arcanorum revelationes: nam ut præclarè Philippus Neri vir sanctissimus dicebat, difficile est visionum perceptione non inflari, difficilius se illis dignum non credere, difficillimum se indignum profiteri, atque earum sive suavitati sive curiositati patientiam, abjectionem, & obedientiam anteferre. Porro cum agitur de apparitionibus, sunt qui-

dam <sup>b</sup> ab errore & temeritate nullatenus excusandi, qui eas passim tanquam fallacias & illusiones sensuum, aut veluti somniantium deliramenta explodunt; alii <sup>c</sup> verò nimium faciles omnibus credunt, omnes sine discretione amplectuntur: cum tamen certum sit quædam veras esse, per quas homines ad salutem & ad virtutem erudiuntur; quædam quoque falsas, quibus Deo permittente nonnulli decipiuntur. Utrumque igitur extremum vitandum est, nam ex sacra scriptura, & ex probatis illustrium virorum experimentis constat & olim fuisse & quotidie esse tam probos quàm improbos homines, quibus diversi spiritus apparent: constat etiam multos vel propria imaginatione, vel astutia dæmonum falli ac deludi; sicut illusi sunt quidam veteres Philosophi, de quibus sic loquitur in confessionibus Augustinus <sup>d</sup>. *Multi conantes ad te redire, neque per seipsos valentes, sicut audio, tentaverunt hæc, nimirum Deo per Angelos certis ritibus reconciliari, & inciderunt in desiderium curiosarum visionum, & digni habiti sunt illusionibus.*

<sup>b</sup> Tiraq. a' lib. 2. dierum. Gen. cap. 9. c Hic. Magnu.  
<sup>d</sup> 4. miscell. cap. 12. d Lib. 10. cap. 42.



### 346 DE DISCRETIONE

Elati enim te querebant doctrina fastu;  
exerentes potius quam tundentes pectora,  
& adduxerunt sibi per similitudinem cor-  
dis sui conspirantes & socias superbiae sue  
potestates aëris hujus, à quibus per poten-  
tias magicas deciperentur, quærentes me-  
diatorem, per quem purgarentur, & non  
erat: diabolus enim erat, transfigurans  
se in Angelum lucis. Hæc tacito nomine  
de quibusdam Platonice à Plotini scho-  
la Augustinus, quos in epistola ad  
Dioscorum aperte accusat, quod magi-  
carum artium curiositate depravati sint.

II. Spirituum verò sive personarum  
diversa sunt genera. Et primo quidem  
loco Deus est *Pater spirituum*, ut ait A-  
postolus *f*; Deus inquam, unus in sub-  
stantia, Trinitas in personis, Pater &  
Filius, & ab utroque procedens Spiritus  
Sanctus, qui quoniam *communis est am-  
bobus, id vocatur propriè*, ut loquitur  
Augustinus *g*, quod *ambo communiter*.  
Est & Christus redemptor noster, Deus  
& homo; & beatissima ejus Mater, om-  
nium creaturarum excellentissima. Se-  
quuntur Angeli omnis concretionis ex-  
pertes, quorum quidam perpetuo feli-

<sup>c</sup> Ep. 16, f. Hebr. 12. g. Lib. 15. de Trin. c. 19.

### SPIRITUUM CAP. XIX 347

ces <sup>h</sup> *administratorii spiritus sunt, in mi-  
nisterium missi propter eos, qui heredita-  
tem capiunt salutis*: alii in malo obdu-  
rati, semperque infelices, hominum sa-  
luti invidere & insidiari non cessant. Sunt  
denique humani spiritus exuti corpore,  
qui vel æterna felicitate fruuntur, vel  
perpetuo igne in inferno cruciantur, vel  
à peccatis nondum expiatis purgatorii  
carcere inclusi emundantur. His acce-  
dunt, sed rarò, ipsi mortales adhuc vi-  
ventes, quos nonnunquam aliis viventi-  
bus apparere ex dicendis manifestum  
erit. Cum verò triplex apparitionum si-  
ve visionum sit genus, corporale, ima-  
ginarium, & intellectuale: oportet ut  
ad corporeas & species & corpus exter-  
num concurrat, aut certè vehementissi-  
ma sensuum immutatio: imaginariæ pau-  
cioribus indigent, paucissimis illæ quæ  
fiunt in intellectu, ut ex his constat, quæ  
latè tractata sunt, cum de visionibus age-  
remus. Nunc verò præcipuè de illis ap-  
paritionibus sermo futurus est, quibus  
hoc nomen magis congruit, cum nimi-  
rum ipsi apparentes externis sensibus sub  
certa, definita, atque spectabili forma se

<sup>h</sup> Hebr. 1. 14.



348 DE DISCRETIONE

ostendunt. A divinis autem apparitionibus initium sumendum est: quamvis enim Deus ubique sit, ut fides docet, apparere tamen dicitur, cum se ita oculis sub certa ac definita forma spectandum præbet, ut illud quod cernitur non spectum sit, neque sensuum illusio, sed verissima apparitio.

III. Sic Deum sapissime apparuisse nemo orthodoxus, qui sacris literis credat, negare potest. In his enim legimus eum multoties visum fuisse sub spectabili specie à Patribus veteris Testamenti, à primo omnium parente Adamo postquam esu vetiti pomi divinum præceptum transgressus est: à Cain, cum patrata nece fratris innocentis à facie Dei profugus & vagus ejectus est: à Noë, cum ei præcepit, ut arcam construeret, in qua genus humanum & cuncta animantia ab aquis diluvii salvarentur: ab Abrahamo in convalle Mambre, quando tres vidit & unum adoravit: à Jacobo, cum tota nocte eum illo luctatus se Deum vidisse facie ad faciem testatus est: à Moyse, cum rubum vidit incombustum, & quando ingressus caliginem legem ab illo scriptam percepit: ab aliis, aliis modis, in quibus

SPIRITUUM CAP. XIX. 349

recensendis non est diutius immorandum. An verò Deus invisibilis, immensus, inaccessible, quem nemo hominum vidit, ut ait Apostolus <sup>1</sup>, sed nec videre potest, per seipsum personaliter apparuerit, an ministerio Angelorum: & si per seipsum ab hominibus visus, & cum hominibus locutus est; quænam fuerit illa persona, Paternæ, an Filii, an Spiritus Sanctus, variæ sunt & discrepantes doctorum sententiæ. Tertullianus & solum Dei filium apparuisse existimavit his verbis: *Nam qui ad Moysen loquebatur, ipse erat Dei Filius, qui & semper videbatur, Deum enim Patrem nemo vidit unquam.* Et alibi ipsum ait <sup>2</sup> apparuisse Abrahamæ in carne sine natiuitate, qui jam tunc & adloqui, & liberare, & judicare humanum genus ediscebat in carnis habitu non nata adhuc, quia nondum moritura. Idem asserit in libris adversus Marcionem. Consentit Tertulliano Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone, ubi ait <sup>3</sup>, *Neque Abraham, neque Isaac, neque Jacob, neque hominum alius quispiam Patrem & ineffabilem Dominum rerum universarum & ipsius Christi*

<sup>1</sup> 1. Tim. 6. 16. <sup>2</sup> Adv. Jud. cap. 9. <sup>3</sup> Lib. de carne Christi cap. 6. <sup>m</sup> Lib. 2. c. 27. & l. 3. c. 6. & 9.



vidit: se dillum ipsum qui Deus est & Filius  
ipsum, & qui homo ex virgine natus est. Ire-  
næus quoque filium Dei fuisse astruit,  
qui cum Abraham, cum Noë, cum Jacob,  
& cum Moysè locutus est. At hæc opinio  
falsa est, teste Augustino ° omnium do-  
ctorum præcellentissimo, qui Maximi-  
num Arianorum episcopum de ea redar-  
guens, singula scripturæ loca ab hæretico  
allata, ut probaret Filium Dei ab initio  
humani generis ab hominibus videri soli-  
tum, egregiè exponit, eaque docet non  
tantum de filio, sed etiam de Patre, &  
de spiritu sancto intelligenda esse, ac tan-  
dem concludit p, *Divinitatem non per  
substantiam suam, in qua invisibilis & im-  
mutabilis est, sed per creaturam sibi subje-  
ctam mortalium oculis apparuisse cum voluit.*  
Et alibi fusiùs idem argumentum per-  
tractans, multa visa facta fuisse osten-  
dit q, *non evidenter nominato & designa-  
to in eis vel Patre, vel Filio, vel Spiritu  
Sancto, ut nimis temerarium sit dicere,  
Deum Patrem nunquam Patribus aut Pro-  
phetis per aliquas visibiles formas apparuis-  
se.* Et infra, postquam illos perstrinxit,

n. Lib. 4. c. 23. o Lib. 3. contra Max. c. 26. p Lib. 2.  
de Trin. c. 9. & seqq. q. Cap. 17.

qui dicebant non Patrem, sed tantum Fi-  
lium aut Spiritum Sanctum corporalibus  
hominum apparuisse conspectibus, ait :  
*Vnde nemo sani capitis affirmare debet,  
nusquam personam Patris per aliquam spe-  
ciem corpora'em vigilantium oculis demon-  
stratam.* Hæc de postrema propositæ  
quæstionis parte Augustinus, qui & al-  
teram diffusissimè tractans sic eam dissol-  
vit l. *Essentia Dei, quandoquidem nullo  
modo mutabilis est, nullo modo potest ipsa per  
semetipsam esse visibilis.* Proinde illa om-  
nia quæ patribus visa sunt, per creatu-  
ram facta esse manifestum est. Et si nos la-  
tet quomodo ea ministris Angelis fecerit,  
per Angelos tamen esse facta, non ex no-  
stro sensu dicimus; sed credimus, propter  
quod & loquimur. Extat enim auctoritas  
divinarum scripturarum, unde mens nostra  
deviare non debet. Latè autem ex scriptu-  
ris ostendit, eundem qui Patribus apparuit  
& locutus est modò Angelum, modò  
Deum nuncupari, ex quo infert Deum  
per substantiam suam non apparuisse, sed  
per Angelos, qui ipsum repræsentabant.  
Dicit tamen scriptura Dominum & non  
Angelum locutum esse Prophetis: *Quia*

l. Cap. 18. l. Lib. 3. de Trin. cap. 11a



cum verba Judicis præco pronunciat, non scribitur in gestis: ille præco dixit, sed ille judex. Nec minùs ad rem facit, quod idem alibi scribit: adversùs Adimantium Manichæi discipulum, Deum asserens quibus voluit ea quæ voluit annuñciare, sive loquendo, sive apparendo, vel per angelicam aliquam potestatem, vel per quamlibet creaturam: quia ipse est in omnibus veritas, & omnia illi constant, & omnia illi ad nutum serviunt, atque subjecta sunt: ut etiam oculis per visibilem creaturam cui vult, quando dignatur, appareat; cum ipse tamen secundum divinitatem suam non nisi purgatissimo & simplicissimo corde videatur, & ideo quibusdam locis etiam Scriptura ipsa testatur Angelum visum, ubi dicit Deum visum. Et rectè dicitur, Deus dixit, & Deus apparuit: & item rectè, Angelus dixit, & Angelus apparuit: cum illud dicatur ex persona inhabitantis Dei; hoc ex persona servientis creatura. Sequitur Augustinum doctorem angelicus his verbis. Omnes Dei apparitiones, qua in veteri testamento leguntur, facta sunt ministerio Angelorum, qui aliquas species vel ima-

c Lib. cont. Adim. cap. 8. u Qu. 6. de potent. art. 7 ad 3.

ginarias

ginarias vel corporeas formant, per quas animum hominis videntis in Deum reducerent sicut & sensibilibus figuris possibile est hominem in Deum reduci. Corpora ergo apparentia in apparitionibus prædictis Angeli assumpserunt; sed in eis Deus apparuisse dicitur, quia ipse Deus erat finis, in quem per representationem hujusmodi corporum Angeli mentem hominis elevare intendebant. Et ideo in illis apparitionibus scriptura quandoque commemorat Deum apparuisse, quandoque Angelum. Id verò, teste Dionysio\*, ordo divinæ legis sanxit, ut inferiores per superiores, homines per Angelos ad Deum adducantur, ac propterea quæcumque leguntur divinæ manifestationes, sive Theophaniæ per Angelos factæ sunt, eorumque ministerio ad Patres nostros dimanarunt. Summa in hoc veterum Patrum concordia, nec discrepant ab eorum sententia Principes scholasticorum.

IV. Sed difficultas hæc oritur, quæ præteriri non debet: si enim per Angelos divinæ apparitiones fiunt, cur non omnes angelicæ nuncupantur? Et si quædam proprie Deo, quædam Angelis tribuuntur,

\* De cal. Hier. c. 4.

Gg



## 354 DE DISCRETIONE

quibus indiciis illa ab istis discerni poterunt? Multis, & quidem faciliè, si attentè ipsa apparitio, omnesque ejus circumstantiæ considerentur. Certum est enim Angelum non suam, sed Dei personam repræsentare; & consequenter apparitionem non angelicam, sed divinam dicendam esse, si is qui apparet quasi in propria persona ea profert, quæ soli Deo competunt; ut cum Abrahæ dixit, *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*: multo magis, si se Deum appellat, ut cum Moysen de medio rubi vocavit dicens, *Ego sum Deus*, & paulò post, *ego sum qui sum*. Accedit aliud signum ex re quæ in ipsa apparitione geritur; nam si propriè ad Deum pertinet, ut cum Moyse lex data est, Angelus Dei personam sustinet: si verò angelico ministerio congruit, ut cum Raphaël ad Tobiam, Gabriel ad Danielem, ac postea ad Mariam missi sunt, propriam eos gerere personam evidens est. Si autem quaerimus ab Augustino quomodo facta sit post incarnationem Verbi vel vox Patris, vel species corporalis, qua Spiritus sanctus demonstratus est; per creaturam facta ista sanctissimus doctor non du-

*y Gen. 15. 2. z Exod. 3. 6. 14. a Lib. 4. de Trin. 6.*

## SPIRITUUM CAP. XIX. 355

bitat; sed utrum tantummodo corporalem & sensibilem, an adhibito etiam spiritu rationali vel intellectuali, non quidem ad unitatem personæ, quis enim hoc dixerit? sed tantum ad ministerium peragendæ significationis, an aliquid aliud intelligendum sit invenire difficile est, & temere affirmare non expedit. De persona Spiritus Sancti sub columbæ speciei visa in Jordane disserit S. Thomas tertiam partem affirmans <sup>b</sup> ex sententia Augustini Spiritum Sanctum veram columbam formasse, in qua appareret, licet ipsam non assumpsit in unitate personæ. Filius verò postquam factus homo in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, multoties post resurrectionem discipulis apparuit realiter & corporaliter, ut constat ex evangelio. Nec ulli dubium esse potest quin etiam post gloriosam in cælum ascensionem personaliter apparuerit Paulo, sicut docet S. Thomas <sup>c</sup>, id enim asseveranter ad Corinthios scribit ipsemet Apostolus <sup>d</sup> dicens visum sibi Christum sicut visus est Cephæ, Jacobo, reliquis Apostolis, & plusquam quingentis fratribus: at istis visus est in proprio corpore & in

*b 3. p. q. 39. a. 16. & 7. c 3. p. q. 57. art. 6. d 1. Cor. 15.*



propria specie, ergo etiam Paulo, ut certum de ejus resurrectione testimonium perhiberet. An verò, cum illi apparuit, sedem suam in cœlis deseruerit; seu potius in utroque loco per divinam potentiam re ipsa fuerit, quæstio est quam scholasticis discutiendam relinquo. Cæteras apparitiones per Angelos factas esse, sicut de sua Apocalypsi testatur Joannes, credendum est: neque enim sine scripturæ & Ecclesiæ auctoritate personales Christi apparitiones astruendæ sunt. In sacramento Eucharistiæ nec videri nec apparere dicendus est, cum neque propria specie, nec secundum accidentia sibi inherencia humanis sensibus exhibeatur. Et si fiunt aliquando inusitata & prodigiosa in ipsa Eucharistia apparitiones, de quibus omnium fere seculorum referuntur exempla, cum videlicet vel pueri forma, vel carnis aut sanguinis species videtur, nihil temere de illis definiendum est. Nam si apparitio ex parte tantum videntis contingit, facta in oculis ejus tali immutatione, ac si expresse carnem vel puerum videret, cum tamen alii nihil videant, nulla scilicet existente ex parte Sacramenti.

Apoc. 1. f. S. Thom. 3. p. 9. 79. art. 8.

mutatione; fieri potest ut ei se demon prestigis suis immisceat sensibus illudendo. Cum verò immutatio in ipsis speciebus sacramentalibus sit, ita ut ab omnibus videatur, nullum est illusionis periculum, cum non possit demon extraneas species in illis efficere. Caute quoque procedendum est, cum lumen in ipso Sacramento apparet, cum suavis odor ex eo emanat, vel in ejus sumptione, dulcedo inusitata percipitur: nam hæc omnia non ex sensibili delectatione, sed ex fructibus, quos in anima parturiunt, discernenda & judicanda sunt. Gloriosa autem & corporalis Christi apparitio erit in fine mundi, cum venerit judicare vivos & mortuos: an verò singulis hominibus forma spectabili in judicio particulari appareat, ut quidam scripserunt, incertum est: nec satis constat modus hujus judicii, nisi quod in momento, & in ictu oculi peragitur; atque ideo ad illud sufficit judicis apparitio intellectualis. Quod verò nonnulli audacter scribunt Christum Dominum alicui sancto non per Angelum, sed per seipsum corporaliter apparuisse, & unanimi sanctorum Patrum sententiæ opponitur asserentium à solo Paulo post



ascensionem in proprio corpore visum; nec ulli solido fundamento innitur: nam in symbolo fidei ipsum ascendisse in cœlum, sedere ad dexteram Patris, & inde venturum profiteamur, non ad aliquam particularem personam quantavis sanctitate conspicuam, sed ad judicandos vivos & mortuos, ut justis præmia, supplicia reprobis æternum duratura decernat. Sic etiam Beatissimæ Virginis Dei genitricis apparitiones diversis locis, modis, atque temporibus factas gravissimi ac fide dignissimi testes affirmant, quorum auctoritas nulla potest exceptione labefactari: ipsas tamen apparitiones angelico ministerio factas omnino credendum est, explosa prophanorum hominum improbitate, qui eas vel prorsus negant, vel curiosius quàm par sit scrutari audent. Oportet enim in his, quæ sensuum experientiam, & naturalem intellectus aciem excedunt, sapere ad sobrietatem, & maximi doctoris Augustini imitari modestiam, qui ingenue fassus est se modum apparitionum ignorare.

V. Sanctos Angelos sæpe hominibus visibiliter apparuisse, sacrarum literarum irrefragabili testimonio adeo certum &

manifestum est, ut nulla catholico viro possit de hoc dubitatio, vel difficultas occurrere. Sed quomodo fiant hujusmodi apparitiones, an sola in sensu externo immutatione facta, nulla re extra oculum verè & realiter existente, quæ visui obijciatur, ut in præstigiis: an revera aliqua res extra oculum sit, quæ in tali situ ac dispositione collocata, ejus figuræ & coloris appareat, qualis non est, ut cum iridem cernimus: an potius corpus verum assumant, & in eo se spectandos præbeant; quæstio difficilis est, quæ portentosum Augustini ingenium diu exercuit; nec aliquid definire ausus est. *Quis explicet, inquit, cum qualibus corporibus apparuerint Angeli hominibus, ut non solum cernerentur, verum etiam tangerentur: & rursus non solida corpulentia, sed spiritali potentia quasdam visiones, non oculis corporeis, sed spiritalibus vel mentibus ingerant, vel dicant aliquid non ad aurem forinsecus, sed intus in animo hominis, etiam ibidem constitui; sicut scriptum est in prophetarum libro, Et dixit mihi Angelus qui loquebatur in me; non enim ait, qui loquebatur ad me, sed in me. Vel appareant*



Et in somnis, & colloquantur more somniorum; habemus quippe in Evangelio, Ecce Angelus Domini apparuit illi in somnis dicens. His enim modis velut indicant se Angeli contrectabilia corpora non habere. Faciuntque difficillimam questionem, quomodo Patres eis pedes laverunt, quomodo Jacob cum Angelo tam solida contrectatione luctatus sit. Cum ista queruntur & ea sicut potest quisque coniectat, non iniuiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est ut hec atque huiusmodi affermentur vel negentur vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur. Magis opus est dijudicare atque dignoscere, cum se sathanas transfiguratur velut Angelum lucis, ne fallendo ad aliqua perniciofa seducat. Idem alibi de eadem re sermonem habens, *Mihi omnino, inquit<sup>b</sup>, uile est, ut meminerim virium mearum, fratresque meos admoneam, ut & ipsi meminerint suorum, ne ultra quam tutum est humana progrediatur infirmitas. Quemadmodum enim hac faciant Angeli, vel potius Deus quemadmodum hac faciat per Angelos suos, &*

<sup>b</sup> Lib. 3. de Trinit. cap. 10.

quantum

quantum fieri veli etiam per Angelos malos, siue sinendo, siue cogendo ex occulta sede altissimi imperii sui, nec oculorum acie penetrare, nec fiducia rationis enucleare, nec propectu mentis comprehendere valeo. Et supra; iam dixerat hoc excedere vires suas, *Utum Angeli manente spiritali sui corporis qualitate per hanc occultius operantes assumant ex inferioribus elementis corpulentioribus quod sibi coaptatum quasi aliquam vestem mutant, & vertant in quastibet corporales, etiam ipsas veras, sicut aqua vera in verum vinum conversa est a Domino: aut ipsa propria corpora sua transformant in quod voluerint, accommodata ad id quod agunt. Sic ille loquitur ex Platoniorum sententia dubitans an Angelis, et si natura substantie spiritalis, aliquod tamen corpus insit athereum subtilissimum, & sui generis, ut ait Tertullianus<sup>k</sup>. In carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus videri & congregari cum hominibus posse. Sic Basilius, quamvis alicubi Angelos incorporeos dixerit, libro tamen de Spiritu sancto eos ait aspectabiles fieri in specie propriorum corporum, iis apparentes qui digni sunt: de qua re etiam Bernar-*

<sup>i</sup> 1b. c. 1. <sup>k</sup> De carne Christi cap. 6.

Hh



quis dubitavit questionem indiscussam relinquens. Nunc Theologi cum angelico doctore<sup>m</sup> unanimi consensu affirmant Angelos omnino incorporeos esse, & cum hominibus apparent, vel corpora assumere, vel sensuum organa immutare, vel species objicere quæ rem aliter repræsentent, quàm revera sit.

VI. Sensus verò non illudi, nec fieri apparitionem *in phantasmate putativa carnis*, ut Terentullianus ait: sed in vero corpore assumpto, quodcumque illud sit, sive ex aëre, sive ex corpulentiori materia, hoc signo demonstrari asserit S. Thomas<sup>o</sup>, quod imaginariam apparitionem ille solus percipit, ad quem fit: externam autem & corporalem omnes percipiunt, quod enim extra videntem positum est omnes videre possunt. Sic Angeli qui Abrahæ apparuerunt non solum ab illo, sed ab universa ejus familia visi sunt. Sic etiam Raphaël Tobie comes in longo itinere omnibus indiscriminatim spectabilis erat. Non est tamen hæc nota infallibilis, Paulo siquidem corporaliter apparuit Christus, *viri autem illi qui comitabantur eum*

1. Ser. 5. in Cant. m. r. p. q. 51. art. 1. n. Lib. 3. adv. Mart. cap. 9. o. 1. p. q. 51. art. 2. p. Gen. 18. q. 1. 7.

*eo stabant stupefacti, audientes quidem vocem, nemi nem autem videntes*: idque proprium est corpori glorioso, ut se uni manifestare possit, subtracta reliquis presentia sua, quamvis nullum obstaculum interponatur. Corporis autem ab Angelo assumpti alia ratio est, illud enim uni ostendere, aliis occultare propria virtute nequeunt, sed requiritur virtus divina. Dæmones verò prestigiis & fallaciis quandoque efficiunt, ut corpus aliquod ab uno videatur, reliquis nihil videntibus, posito nimirum obice, ne species ad oculos eorum transeant: sicut è contrario solent nonnunquam efficere, ut corpus aliquod ab omnibus videatur, quod tamen verum corpus non est, sed phantasma: quemadmodum legimus de Selene Simonis Magi concubina, quæ cum in turri quadam esset, magna populi multitudine ad spectaculum concurrente, per omnes illius turris fenestras procumbere & deorsum prospicere visa est: quod deceptis diabolica fraude sensibus proculdubio successit. Scimus etenim evidenti ratione non posse idem corpus in pluribus locis naturaliter esse, nec ullam dæmoni po-

κ Clem. Rom. lib. 2. Recognit.



364 DE DISCRETIONE  
gentiam à Deo conferri ad ea quæ superant  
facultatem naturæ, quia ut ait doctor An-  
gelicus <sup>1</sup>, *Si demonibus, quorum est tota  
voluntas in malum, aliqua potestas daretur  
faciendi miracula, Deus falsitatis eorum  
testis existeret, quod divinam bonitatem non  
debet.* Eodem modo captiosa fuerunt &  
illusoria multæ apud Ethnicos apparitio-  
nes, de quibus in admirabili opere de  
civitate Dei <sup>2</sup> copiosè disserit Augu-  
stinus. Hæc verò præstigiæ in boni Angeli ap-  
paritione non accidunt, quia non nisi Deo  
jubente pro nostra salute & instructione  
apparent, nec ullum in illis mendacium  
esse potest. Vera item corporis assump-  
tio illa censei debet, quæ tactu percipi-  
tur, ut cum Abraham Angelorum pedes  
humana forma apparentium lavit; cum  
ipsi Loth manu apprehensum è civitate  
comburenda eduxerunt: cum Jacob to-  
ta nocte cum uno ex illis luctatus est. Mul-  
tis quoque experimentis compertum est  
dæmones interdum mulieribus improbos  
esse, earumque concubitum expetere &  
peragere: idque negari non posse absque  
impudentia censuit Augustinus <sup>3</sup>. Viris

<sup>1</sup> *2y. 6. de Potent. art. 3. c. Lib. 18. u. Lib. 15. de  
Civ. Dei cap. 23.*

SPIRITUUM CAP. XIX. 365  
item sanctis frequenter apparuerunt non  
per præstigias & deceptiones, sed in af-  
sumptis corporibus, cujus rei testes irrefra-  
gabiles sunt magnus Antonius Abbas  
& alii innumerabiles sæpe à dæmonibus  
miris modis vexati, plagisque atque verbe-  
ribus affecti. Illos prætereo, quos Græci  
*paredros* vocant, qui in aspectabili forma  
hominibus famulantur, multaque domi  
forisque faciunt, quæ sensibus percipiun-  
tur, quorum evidentiam negare nemo  
potest, qui sanæ mentis sit <sup>x</sup>. Porro  
Angeli hominibus apparent optima divinæ  
providentiæ dispositione, ut non solum  
intellectum illuminent intellectuâli visio-  
ne, sed etiam per sensibiles formas, quæ  
sunt quædam imagines divinorum; & quia  
per gratiam ad eorum æqualitatem & so-  
cietatem elevandi sumus, nobis, per  
corporum assumptionem conforman-  
tur, ut quod nostrum est suo modo ac-  
cipientes, nos ad illud assurgere faciant,  
quod proprium ipsorum est.

VII. Cacadæmonum par est ratio: ap-  
parent sæpe in assumptis corporibus, sæ-  
pius præstigiis illudunt sensus; sed quod  
Angeli boni ad nostram salutem efficiunt,

<sup>x</sup> *S. Thom. de Pot. q. 6. a. 7.*



ad perniciem & damnationem operantur. Formis quoque discrepant Angelorum & dæmonum apparitiones. Angelis solet unica esse, nempe humana: dæmonibus multiplex vel hominis vel bestiarum; à columbæ tamen vel agni specie abstinent, tum quia mysticè Spiritum sanctum & Christum designant, tum quod hæc animalia felle carentia truculentis sathanæ moribus non conveniunt. Nec solas brutorum formas, sed & alias ignotas atque monstruosas effingunt, ut terreant. Experienciâ quoque constat mortuorum interdum assumere corpora, sed reproborum: neque enim credibile est illorum corpore abuti posse, in quorum animam nullam habent potestatem. In vivos etiam transfigurantur, spectraque objiciunt seu oculis seu phantasiæ, & simulacra atque imagines rerum seu personarum, & sicut de Proteo fabulantur poëtæ, in omnes formas se vertunt, ut miseros mortales seducant & perdant. Firmissimè verò credendum est, ut ait Augustinus <sup>γ</sup>, nihil dæmones operari posse, secundùm naturæ suæ potentiam, nisi quod Deus permiserit, cujus judicia occulta sunt multa,

<sup>γ</sup> Lib. 18. de Civit. Dei cap. 18.

nulla injusta. Præclare de hac re Tertullianus <sup>z</sup>. *Nihil sathane in servos Dei vivi licebit, nisi permiserit Dominus, ut aut ipsum destruat per fidem electorum in tentatione victricem; aut homines ejus fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Job, cui diabolus nullam potuit incurrere tentationem, nisi à Deo accepisset potestatem. Nec in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatem, nisi eam de Deo impetrasset: tantum abest ut in oves Dei habeat.* Quantum verò in ipso dæmoniorum Principe ejusque satellitibus est, semper nocere hominibus satagunt, & quia in veritate non steterunt, totam vim suam in mendacio constituunt. Nec solum in Angelos lucis transfigurant se, sed & Christi Domini, ac Beatæ Virginis, sanctorumque personam sapius assumere audent; tanta calliditate & versutia, ut viros etiam probatæ virtutis non semel in errorem induxerint, sicut orthodoxi Patres asserunt, & certissima experientia confirmat. Optimè de his scribens Lactantius <sup>z</sup>, *Hi spiritus, inquit, contaminati ac perditii per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur.*

<sup>z</sup> De fuga in per. sec. c. 2. a Lib. 7. c. 14.

H h iiii



*Iraque omnia insidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent.* Inter fallacias autem innumerabiles, quibus vaferrimus hostis circumvenire incautos & illaqueare studet, hæc omittenda non est, quod aliquando apparet assumpta persona alicujus defuncti, qui pessimè vixerit & in peccatis suis mortuus sit, petens eleemosynas, preces, jejunia, peregrinationes, sacrificia, atque alia suffragia, ac si in statu salutis foret, ut hac arte persuadeat etiam manifestos & obduratos peccatores, quamvis sine Sacramentis decedant, à salute non excludi, actu contritionis elicito priusquam anima à corpore separetur. Idcirco plerumque fiunt hujusmodi apparitiones, vel socii criminum, vel alii peccatoribus, sive domesticis & consanguineis, quorum intersit pro defuncti honore eas evulgare, ut vana spe decepti qui in fordibus sunt adhuc sordescant, & sceleratæ vitæ parem exitum fortiantur. Sunt etiam ut plurimum suffragia quæ petuntur certo numero definita, habentque nonnulla annexa, quæ vana, ambigua, & superstitiosa sunt; tum minas & errores miscent, adeo ut facile possint occultæ fraudes &

insidiæ versutissimi hostis detegi & præcaveri.

VIII. Restant nunc humanorum spirituum apparitiones tam beatorum cum Deo regnantium, quàm damnatorum, & eorum qui in Purgatorio detinentur; de quibus tot extant sacræ scripturæ testimonia, tot à sanctis & gravissimis viris, atque ab ipsismet Ethnicis recensitæ historiæ, quæ omnium manibus teruntur, ut mirum sit potuisse homines sanæ mentis reperiri, qui eas omnino negare, vel delusæ imaginationi adscribere ausi sint. Hi nimirum, ut Hieronymus <sup>b</sup> Vigilantio exprobrat, legem Deo ponunt, & Apostolis vincula injiciunt, ut usque ad diem judicii teneantur in custodia, nec possint quibus volunt, Deo annuente, apparere. Tertullianus <sup>c</sup> etsi non neget animarum apparitiones, arte tamen dæmonum fieri credidit, neglecta scripturæ auctoritate, in qua legimus <sup>d</sup> Oniæ & Hieremiæ apparitionem, & Moysis atque Eliæ in Christi transfiguratione, ac illorum qui surrexerunt cum ipso, & multis in Hierusalem apparuerunt; in quos evidens est

<sup>b</sup> Lib. adv. Vigilantium <sup>c</sup> Lib. de anima cap. 57. d  
<sup>2</sup> Mac. 15, Mat. 17. & 27.



nullam dæmonem habuisse potestatem. Porro ab istis apparitionibus multæ ad nos utilitates emanant : ostendunt enim animam simul cum corpore non interire, & sine carne posse subsistere, fidem roborant resurrectionis : & si sancti sunt qui apparent, vel Dei mandata ad nos perferunt, vel de sua felicitate certiores nos faciunt, vel ad virtutem hortantur, vel ægris & morientibus assistunt, aliaque nobis beneficia impendunt : si damnati, præcones sunt divinæ justitiæ, & ita nos vitam instituere docent, ne & ipsi pari pœna plectamur : si purgantes, divinam quoque justitiam prædicant, & opem implorant ut nostris adjuti suffragiis citius à pœnis liberentur. An verò in propriis corporibus appareant, an in fictis & assumptis : & si in assumptis, an ea possint naturali virtute componere, an ope Angelorum in his formandis indigeant, an ipsæ per se appareant, an Angeli eas representent, quæstiones sunt in utramque partem in scholis agitatae. Quidam putant cum S. Bonaventura posse justos de loco suo ad tempus exire, nunquam tamen damnatos : alii cum S. Thoma id etiam damnatis concedunt ad

σ. Bon. in 4. diff. 45. a. 1. q. 3. f. Th. ib. q. 1. a. 1. q. 3.

emendationem & terrorem viventium. Nonnulli etiam existimant posse animas proprium corpus assumere, illudque movere tanquam formas assistentes ; alii constanter hoc negant : item aliqui aiunt posse corpus aëreum assumere, alii dicunt non posse, neque tamen certas proferunt rationes, quibus probent id naturalibus animæ viribus repugnare. Animas puerorum, qui cum solo peccato originali decesserunt, nusquam legimus apparuisse ; nam juvari suffragiis nostris non possunt, nec ulla inesse videtur in eorum apparitionibus utilitas, aut virtutis exemplum. Sæpe quoque viventes viventibus apparuisse fide dignissima monumenta testantur, sed plerumque in somnis, ut asserit Augustinus, *Nam & viventes, inquit, apparent sæpe viventibus dormientibus, dum se ipsi nesciunt apparere : & ab eis hæc que somniaverint audiunt dicentibus, quod eos in somnis agentes aliquid vel loquentes viderint.* Ex his autem infert etiam mortuos nescientes utrum appareant posse viventibus apparere : ait enim. *Si ergo me potest aliquis in somnis videre sibi aliquid quod factum est indicantem, vel*

8 Lib. de cura pro meritis cap. 10.



etiam quod futurum est prænunciantem; cum id ego prorsus ignorem, & omnino non curem, non solum quid ille somniet, sed utrum dormiente me vigilet, an vigilante me dormiat, an uno eodemque tempore vigilemus ambo, sive dormiamus, quando ille somnium videt, in quo me videt: quid mirum si nescientes mortui nec ista sentientes, tamen à viventibus videntur in somniis & aliquid dicunt, quod ex vigilantibus verum esse cognoscant. Angelicis igitur operationibus fieri crediderim, sive permittatur de super, sive jubeatur. Tum relatis aliquot mortuorum apparitionibus subdit <sup>h</sup>. Quomodo fiant ista, nescio: sed quomodolibet fiant, cur non eodem modo fieri credimus, ut in somniis quisque videat mortuum, quo modo fit ut videat & vivum? Putat igitur Augustinus videri aliquando mortuos à vivis, ipsis mortuis nescientibus, sicut vivi nescientes se apparere alicui interdum apparent, & cum eo loquuntur; & sicut idem Augustinus Mediolani degens Eulogio Rhetori in Africa apparuit, eique locum Ciceronis obscurum somnianti exposuit. Non ego, inquit, sed imago mea nesciente me, & nihil de illius curis omnino

<sup>h</sup> 16. c. 11.

curante. Pergit doctor sanctissimus dicens <sup>h</sup>, Cur non istas operationes angelicas credimus per dispensationem providentie Dei bene utentis & bonis & malis, secundum inscrutabilem altitudinem judiciorum suorum: sive instruantur hinc mentes mortalium, sive fallantur: sive consolentur, sive terreantur: sicut unicuique vel prebenda est misericordia, vel irroganda vindicta ab illo cui misericordiam & iudicium non inaniter cantat Ecclesia. Post hæc ipsos mortuos interdum ad vivos non dormientes, sed vigilantes mitti probat & exemplo Samuelis, qui mortuus Sauli Regi futura prædixit; Moysis & Eliae, quos in Christi transfiguratione adfuisse narrat Evangelista; Felicis, quem Nolà à Barbaris oppugnata civibus apparuisse certis testibus se audisse commemorat. Sed & Martyres vivorum necessitatibus interesse ait; quomodo autem intersint se nescire fatetur. Res hæc, inquit, alior est, quam ut à me possit attingi; & abstrusior, quam ut à me valeat perscrutari: & ideo quid horum duorum sit, an verò fortassis utrumque sit, & aliquando ista fiant per ipsam præsentiam Martyrum, aliquan-

<sup>h</sup> 16. c. 13. & 16. c. 15. & 16.



*do per Angelos suscipientes personam Martyrum, definire non audeo, mallet à scientibus ista perquirere.* Quod si hæc Augustinus ignoravit, quis ego sum ut audeam eorum notitiam polliceri? sed neque ad finem in hoc libro mihi propositum necessarium est: satis enim & satius est modum scire, quo bonorum malorumque spirituum apparitiones invicem discernantur, ne quis in laqueos inimici impingat.

IX. Dæmonum spectra his indiciis discernuntur, si is qui apparet falsam vel malam apparitionis causam prætexit: si curiosa & minimè necessaria revelat, aut quæ nesciri expediret: si res sacras, & sacramentalia detestatur: si ad crucis signum & ad nomen Jesu horrefcit, vel minus reverenter se habet: si mendax, aut de mandacio suspectus est: si formam corporis indecentem, & gestus parum modestos exhibet: si animum turbatum ostendit: vultu tetrico, deformi, irato se spectandum præbet: si voce stridula, confusa, obscura, ignota loquitur: si hominem vexat & terret, atque molestus & importunus est. Forma quoque apparentis attendi debet. Humana

omnibus spectris communis est, sed si atra, deformis, murila, inustrata sit, malum sub ea spiritum latere demonstrat. Suspecta quoque habenda qualibet apparitio sub specie mulieris, nisi beata Virginis & sanctarum sit. Forma bruti vel monstri non nisi diabolo convenit; animæ enim separata, tametsi damnatorum sint, cum Deo permittente viventibus apparent, eam formam assumunt, ex qua possint cognosci. Rugitus, grunitus, stridores, clamores, tumultus, voces inarticulata, blasphemiarum, imprecationes, convitia vel dæmonum, vel damnatorum sunt. Obsequia viventibus præstita possunt quidem probabiliter, cum honesta & humilia sunt, nihilque habent admixtum levitatis, à bono spiritu esse, cautè nihilominus admittenda; nam subtilissimæ sunt dæmonis artes, quibus illudit humano generi. Malum quoque à bono spiritu non distinguunt exhortationes ad virtutem, & peccantium redargutiones: diabolus enim minus bonum aliquando persuadet, ut majus impediatur; & ad aliquem actum virtutis hortatur, ut facilius incautos decipiat, & successu temporis ad horribiles lapsus sensim indu-



cat. Stigmata Christi, quæ in corpore S. Francisci impressa fuerunt, aliis item divinitus inusta fide digna monumenta commemorant. Sed in his etiam Sathanae fraudes locum habere satis superque probant portentosa signa Christiano Orbi notissima Monialis Viliissiponensis, & Magdalenæ Cordubensis, quæ ambulantes in magnis & in mirabilibus super se, hostis ludibrio expositæ stigmata in manibus, pedibus, & latere artificiosè ficta ostentabant, plebe admirante, & magnis etiam viris in errorem inductis, donec tandem vesana earum consilia & commentitiæ plagæ, ac diaboli potestatem in eas exercentis fallacissimæ imposturæ detectæ sunt: ex quibus liquet quanta in his cautela adhibenda sit. Animæ damnatorum, si Deus permiserit eas apparere, iisdem signis deprehendi possunt, quibus diabolicæ apparitiones dignoscuntur: nullum siquidem video inter illas discrimen esse. Quæ in purgatorio sunt, non nisi ut suffragia petant, ad nos ut plurimum mitti solent; quibus obtentis non redeunt, nisi fortè ut gratias agant: quod si aliquid restitui mandent, certasque preces & sacrificia postulent, atque iis peractis adhuc molestæ

molestæ sunt, mali spiritus indicium est. Mala viventibus illata, aliquando à reprobis spiritibus tanquam ministris divinae justitiæ, aliquando à bonis Deo imperante infliguntur: nec facillè poterunt internosci, nisi sedulò examinentur singulæ rerum, locorum, temporum, & personarum circumstantiæ. Heliodorò templum expilanti apparuerunt duo juvenes virtute decori, optimi gloria, speciosique amictu, qui circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant sine intermissione multis plagis verberantes. Ex quibus verbis perspicuum est impium hominem à bonis Angelis castigatum fuisse. Multa ejusdem generis occurrunt in Ecclesiastica historia, quæ brevitatis gratia prætermitto.

X. Denique sancti Patres optimam esse indicium bonæ apparitionis docent, si ad primum aspectum ejus qui apparet pertubetur homo, & terrore ac horrore quodam concutiatur; postmodum verò ab omni anxietate ac timore liber interna quadam dulcedine perfundatur, quæ charitatem, & humilitatem augeat, & altissimæ perfectionis desiderium excitet.

1. 2. Marc. 3.



Quod si initio lætitia quædam oriatur in mente, quæ postmodum in horrorem & mœrorem convertatur: aut horror initio conceptus diu perseveret; signa hæc sunt quod ille qui apparuit spiritus nequam est. Hunc verò terrorem initio apparitionis non credo esse signum universe verum, in his enim qui Angelicis sanctisque visionibus assueti sunt, cessare videtur hujusmodi terror, ipsa assuetudine terrorem tollente. Hoc documentum tradidit nobis ex propria experientia, ut supra <sup>m</sup> indicavi, magnus Pater monachorum Antonius, cujus hæc sunt verba apud Athanasium in ejus vita: *Non est difficilis bonorum spirituum, malorumque discretio, que sic Deo tribuente panditur. Sanctorum Angelorum amabilis & tranquillus aspectus est, quia nec contendunt, neque clamant, neque audiet aliquis vocem eorum; verum tacite leniterque properantes, gaudium, exultationem, fiduciam pectoribus infundunt; siquidem cum illis est Dominus, qui est fons & origo lætitiæ. Tunc mens nostra non turbida, sed lenis & placida Angelorum luce radiatur. Horum tanta benignitas est, ut si quis pro-*

<sup>m</sup> Cap. 8. n. Cap. 18.

*conditione fragilitatis humane miro fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuo ex corde auferant metum. Ita Gabriel cum Zacharia loqueretur in templo, & Angeli cum divinum Virginis partum pastoribus nunciarent, & qui dominici corporis agebant excubias, securis videntium se mentibus ostendentes, ne metuerent, imperabant. Metus enim non tantum ex pavore animi, quantum ex magnarum rerum sepe incutitur aspectu. Si igitur post timorem horrore conceptum, successerit gaudium & ad Deum fiducia atque ineffabilis charitas, venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ præsentis majestatis indicium est. Hæc Antonius, qui plura addit de apparitionibus & fallaciis dæmonum. An verò quoties spiritus aliquis apparet Christum, vel B. Virginem, aut aliquem Sanctorum repræsentans ipsum liceat adorare, quæstio gravis est, pro cuius solutione, omissis quorundam Scholasticorum distinctionibus & subtilitatibus, quibus difficultas augetur potius quàm tollatur; non credo recedendum esse à doctrina sanctorum Thomæ & Bonaventuræ. Thomæ sententia hæc est,*

<sup>o</sup> In 3. Sens. dist. 9. q. 1. a. 2. q. 6. ad 3.



380 DE DISCRETIONE

Dicendum quod non potest diabolus in specie Christi apparens sine peccato adorari, nisi sit conditio actu explicita, non enim sufficit solo habitu, quia ipsa novitas rei insolita considerationem & attentionem requirit, sicut dicitur de B. Virgine, quod cogitabat qualis esset illa saluatio. Cum igitur non ignoremus Sathanæ astutias, non omni apparitioni credendum est, nec apparenti sub Christi effigie cultus statim exhibendus est, etenim considerare oportet posse ibi latere dæmonem, & periculum imminere, ne illum adorans in crimen idololatriæ labatur. Præclare Bonaventura proposita hae quæstione, An qui adoraret diabolum putans illum Christum, peccaret; sic respondet. Dicendum quod honor latriæ potest exhiberi adversario Christi dupliciter. Aut simpliciter, aut sub conditione. Si simpliciter, dico quod non potest esse sine peccato: nec excusatur ratione ignorantie. Habet enim triplex adiutorium, per quod potest errorem evitare. Primum est remedium præmonitionis sacre scripturæ, quæ multoties dicit, quod multi in nomine Christi venturi sunt mendaces. Secundum est remedium orationis internæ,

2. Sent. 4. q. 1. 9. 6.

SPIRITUUM CAP. XIX. 381

quæ ad Deum debet homo recurrere, ut cor ejus illuminetur. Tertium est suspensio credulitatis, non enim debet homo omni spiritui credere, sed probare qui ex Deo sunt. Qui enim citè credit in talibus, levis est corde: & fortassis etiam inflatus est corde, dum ad tales visiones & revelationes idoneum se esse existimat. Vnde tales visiones vel apparitiones potius sunt formidanda, quàm desideranda. Narratur enim de quodam S. Patre, quod cum ei diabolus in specie Christi appareret: ille clausis oculis dixit, se in hac vita nolle Christum videre: & diabolus humilitate ejus confusus statim evanuit. Ideo si quis simpliciter adorat Christi adversarium, non excusatur à peccato, etiam si credat ipsum esse Christum. Si autem adoret sub conditione, hoc potest esse dupliciter. Aut quia est illa conditio habitualiter, aut actualiter considerata, siue appositæ. Si actualiter, non adorat ipsum Luciferum, sed magis Christum; quia non stat adoratio, nisi stante conditione, & ad eum refertur adoratio, ad quem refertur adorationis implicatio. Si autem illa conditio sit sub consideratione habituali, non sufficit ad vitandum peccatum idololatriæ. Quod si aliquis habens



Discretionem spirituum, vel speciali lumine à Deo imbutus certo sciat nullam in apparitione illusionem subesse, is apparenti debitum cultum sine culpa præbere poterit; tutius tamen est hujusmodi apparitiones rejicere, seque illis indignum fieri; atque omnia ad confessarium vel superiorem referre, eique exactè & humiliter obedire exemplo S. Teresiæ q, quæ tametsi evidenter cognosceret divino spiritu edocta apparitiones à Deo esse, nihilominus confessario existimanti illusiones diabolicas esse morem gerere, & personas sibi apparentes jussu ipsius spernere, & exhibilare non verebatur; donec à viro docto intellexit, id fieri non debere, quia imaginì Redemptoris nostri, etiam à dæmone efformata, par est reverentiam & honorem exhibere.

q Fundat. cap. 8.



CAPUT XX.

*De Revelationibus, earumque discretione. Quid de privatis censendum. Non esse desiderandas, nec illis temerè credendum. Traduntur regula quibus vera & falsis discernantur, ex persona cui sit revelatio, ex ipsa revelatione, & ex circumstantiis. Addita quædam de verbis & phrasibus mystica Theologie.*

I. **O**Mnes visiones & apparitiones eò potissimum tendere, ut aliquid occultum hominibus reveletur, sive ad salutem & instructionem, si à spiritu bono sunt; sive ad perniciem & condemnationem, si à malo; ex his quæ hactenus dicta sunt, satis perspicuè constare arbitror. Confectarium igitur est, ut de ipsis revelationibus, earumque examine & discretione speciatim differamus. Licet enim de illis multa sparsim præmissa sint, adhuc tamen plura supersunt accuratiùs pertractanda, ut quantum ferunt exiguæ vires nostræ, nihil eorum, quæ ad suscepti operis absolutionem pertinent, prætermittamus. Revelatio quæ à Deo, vel eo jubente à bonis spiritibus fit, nihil aliud.



384 DE DISCRETIONE

est quàm manifestatio divinatorum myste-  
riorum & secretorum supra totius naturæ  
vires ad communem Ecclesiæ vel priva-  
tam personarum particularium utilita-  
tem. Quæ verò fit à dæmone est callida  
arcanorum manifestatio diabolicis illusio-  
nibus ad decipiendum facta. Elucidantur  
hæ descriptiones ipso nomine revelatio-  
nis, dicitur enim revelatio, quasi remo-  
tio veli, quam à Deo petebat David <sup>a</sup>,  
cum orabat; *Revela oculos meos, & con-  
siderabo mirabilia de lege tua. Humana  
quippe anima, ut ait Gregorius <sup>b</sup>, pri-  
morum hominum vitio à paradisi gaudiis  
expulsa lucem invisibilibum perdidit, &  
totam se in amorem visibilibum fudit: tan-  
toque ab interna speculatione cæcata est,  
quanto foras deformiter sparsa. Homo  
enim, qui si præceptum servare voluisset,  
etiam carne spiritualis futurus erat, pec-  
cando factus est etiam mente carnalis, ut  
sola cogitet quæ ad animum per imagines  
corporum trahit. Hoc est velum tegens  
oculos animæ, ne videat quæ Dei sunt,  
quod ille solus remove potest, qui illum-  
minat; cujus dono fit, ut anima nostra  
bonum velit & videat; <sup>c</sup> nam malum*

<sup>a</sup> Ps. 118. <sup>b</sup> Lib. 5. mor. c. 25. <sup>c</sup> Bern. ser. 85. in Cant.  
volendo

SPIRITUUM CAP. XX. 385

*volendo mortua erat, & bonum ignorando  
cæca. Est & alterum velum rem ipsam ob-  
nubilans quæ revelatur, de quo canit  
Propheta <sup>a</sup>, Mirabilis facta est scientia  
tua ex me, & non potero ad eam. Hoc  
tollit Deus prima & infallibilis veritas,  
cum occultam veritatem pandit: cum re-  
velat à facie gloriam Domini speculantes in  
eamdem imaginem transformamur à clari-  
tate in claritatem, tanquam à Domini spi-  
ritu, sicut ait Apostolus <sup>c</sup>. De publicis  
revelationibus ad communem Ecclesiæ u-  
tilitatem disputant Theologi, cum de Fide  
agunt. Privatas autem, de quibus hic  
differimus, in omni ætate & in omni statu  
hominum semper fuisse à primo parente  
usque ad nos, tum ex sacra scriptura,  
tum ex probatis historiis evidens est: sed  
ad fidem non spectant, quia ut docet S.  
Thomas <sup>d</sup> innitiuntur fides nostra revelatio-  
ni Apostolis & Prophetis factæ, qui cano-  
nicos libros scripserunt, non autem revela-  
tioni, si qua fuit aliis doctoribus facta.  
Illi tamen, quibus privata revelationes  
fiunt, si certo eis constiterit à Deo esse,  
illis firmiter adhærere tenentur, quia  
Deus revelans occulta sapientiæ suæ sum-*

<sup>d</sup> Ps. 138, c. 24 Cor. 3. 18. f. 1. p. q. 1. a. 8. a. 2.



ma veritas est, quæ nec fallere, nec falli potest. Quæ verò circumferuntur à sanctis viris & mulieribus scriptæ, non ideo approbatæ censentur, ut illis certitudine fidei assentiamur, sed ut eas tanquam probabiles recipiamus: nam quod attinet ad fidem *s*, *super edificati sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu: nec aliud fundamentum quispiam ponere potest. Fidem à Christo acceperunt Apostoli, quibus omnia nota fecit quæcumque audivit à Patre; ipsi verò successoribus suis eandem fidem veluti depositum tradiderunt; de quo Paulus Timotheo præcepit, Depositum custodi. Quid est autem depositum? ait Vincentius Lerinensis *b*, id est, quod tibi creditum est, non quod à te inveniunt: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrine: non usurpationis privata, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolata.* Sectariis hoc proprium fuit, nova dogmata cudere, & iis tanquam à Deo acceptis fidem & auctoritatem privatis revelationibus, seu potius illusionibus, conciliare. Nota sunt omnibus, qui

*g Ephes. 2. 20. h Commonit. c. 2.*

in Ecclesiastica historia versati sunt, Cerinthi, Simonis, Marci, Menandri, Basilidis, Valentini, & aliorum fabulosa figmenta, quæ Irenæus, Epiphanius, Eusebius, & Theodoretus commemorant. Montani, ejusque muliercularum visiones & prophetias passim extollit ab illis deceptus infelicissimus Tertullianus. Donatistarum & Manichæorum deliria recenset Augustinus: nec desunt nostrorum temporum luctuosæ tragœdiæ prætextu revelationum à novatoribus excitatæ. Prætereo olim extinctam, sæpius autem renascentem nefandam sectam Illuminatorum, qui Sathanæ apparitionibus & revelationibus seducti, in carnis desideria actusque turpissimos abeuntes, hoc sibi speciosum nomen, tanquam luce divina imbuti, imposuerunt.

II. Eorum occulta conventicula & in his patrata flagitia hoc loco referre vetat pudor, sed neque necessarium est: nam divina providentia è latibus proferri & palam fieri voluit, ne totum genus humanum errori subjectum & ad carnis concupiscentiam primum obscenissimis eorum fordibus sensim inficeretur. Ne autem pessimi homines omnia jura violasse,



388 DE DISCRETIONE

omnemque modestiam temerè viderentur, se divina revelatione à legibus solutos esse jactabant, atque ideo licere sibi suisque asseclis quicquid carni & sensui placeret: utpote constitutis veluti in statu innocentiae supra omnia praecepta divina & humana, Atque utinam hinc discant omnes, illi praesertim qui animas regendas susceperunt, aditum claudere privatis revelationibus, nec illis facile assentiri, nisi aut miraculis, aut sacrae scripturae testimoniis confirmentur, sicut canon Innocentii III. praescribit. Majorum verò animadversionem exigunt illae, quae dispensationem ab aliqua lege vel à voto continere dicuntur: licet enim fieri possit ut leges divinae à Deo, qui illas tradidit, mutari possint, ut docet Bernardus, & aliquando revera mutatae sint, soluto earum vinculo, ut cum ipso praecipiente Aegyptii ad Hebraeos spoliati sunt, cum Abrahamus jussus est filium immolare, cum Propheta dixit socio ut percuteret ipsum, cum Oseas ex muliere fornicaria filios suscepit, de quibus dispensationibus prolixè disserunt la-

i Cap. cum ex injuncto, de haereticis. k De praescripto dispensat. c. 3. l Exo. 12. m Gen. 22. n 3. Reg. 10. 35. o Osee 1.

SPIRITUUM CAP. XX. 389

crarum literarum interpretes: nihilominus si quid nunc simile privata revelatione contingeret, fides illi adhibenda nullo modo foret, nisi clarissimè quis cognosceret, dono discretionis spirituum, Deum esse qui loquitur & revelat; idque veris & approbatis miraculis, tanquam divino testimonio confirmaretur. Cum enim obligatio praeccepti certissima sit, ut aliquis ab ipso eximatur, evidentem dispensationis certitudinem habere debet. Tum juxta regulas hac de re traditas à sanctis Patribus, referenda res est ad rectores animarum, & in gravioribus ad Summum Pontificem, cui data est à Christo suprema potestas ligandi atque solvendi, & dispensandi, juxta existente causa dispensationis: nec quis facile credere debet hujusmodi dispensationibus, aut illis uti sine legitima auctoritate: alioquin, ut praclare observat Cajetanus, via aperiretur inobedientis, impudicis, & aliis excessibus, asserentibus hominibus se ad talia patranda divina revelatione impulsos. Multa de his Cajetanus, quae apud ipsum legi possunt. Neque obstant exempla, quae ex veteri testamento

p 2. 2. qu. 174. n. 6.



390 DE DISCRETIONE

allata sunt: lex enim umbra fuit futuro-  
rum, & tunc populus Israeliticus per pro-  
phetias & revelationes regebatur: atque  
omnia in figura contingebant illis. In le-  
ge autem gratiæ nusquam legimus factas  
revelationes, qua quis à lege communi  
solutus sit independenter à Prælati Ec-  
clesiæ, quibus data est à Christo domino  
potestas dispensandi. Tutissimum igitur  
est non omni spiritui credere, sed time-  
re, & probare spiritus, si ex Deo sunt:  
neque limites transilire, quos humanæ  
gubernationi Deus præfixit. Olim mul-  
tifariam loquutus est Deus in Prophetis,  
novissime autem loquutus est nobis in fi-  
lio, qui est unicum ipsius Verbum, per  
quod omnia dixit & revelavit, adeo ut  
novæ revelationes jam necessariæ non  
sint, nisi aliquando ad humanorum a-  
ctuum directionem. De reliquis dixit  
Dominus Apostolis suis <sup>1</sup>, *omnia que-  
cumque audivi à Patre meo nota feci vo-  
bis*. Ideo viri sapientes unanimi consen-  
su hortantur, ne quis deditus studio ora-  
tionis revelationes à Deo postulet aut  
desideret, sed eas potius rejiciat exem-  
plo sanctorum, quos legimus dixisse se

<sup>1</sup> Ioan. 15. 15.

SPIRITUUM CAP. XX. 391

indignos visionibus esse, sibi sufficere  
peccata sua plangere, & Christum, ac  
beatos spiritus in futuro seculo videre: ac  
propterea oculos & faciem ab illis averte-  
bant; nisi certò scirent, unctione magistra,  
apparitionem à Deo esse. Narrat Ambro-  
sius <sup>r</sup> apparuisse sibi sanctos martyres  
Gervasium & Protasium, rogasse autem  
Deum ut si ludificatio demonum esset,  
abscederet: si verò esset veritas, ple-  
niùs appareret. In vitis quoque Patrum  
scriptum est <sup>r</sup>, *Quia vel si pro veritate  
Angelus tibi appareat, non suscipias faci-  
lè, sed humilia temetipsum dicens, Non  
sum dignus Angelum videre vivens in pec-  
catis*. Primi verò parentes omnes secum  
morte damnarunt, quia dæmoni falsa re-  
velanti statim crediderunt. Utrobique pe-  
riculum est, sive spiritum à Deo missum  
tanquam malum aversemur: sive satha-  
nam pro Angelo lucis suscipiamus. Pro-  
pterea ad orationem, & ad consilium Pa-  
tris spiritualis confugiendum est; & om-  
nino cavendum, ne hujusmodi singularia  
dona, quæ ex sola Dei voluntate proce-  
dunt, nos ex proprio conatu seu virtute,  
appetamus. Proveniunt enim hæc deside-

<sup>r</sup> Lib. 7. epist. 1. & Lib. 5. libello 15. cap. 69.



ria ex superbia, ex vana curiositate, & ex defectu fidei. Hinc etiam in ipsa religione, inquit Augustinus <sup>1</sup>, Deus tentatur, cum signa & prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata. Tradit hoc ipsum documentum à Deo edocta Catharina Senensis <sup>2</sup>: Quia diabolus videt animam dispositam optare seu recipere mentales visiones, tentationis laqueum invenire conatur. Vnde ipse in illa mente se transformat diversis modis. Aliquando sub forma mea veritatis, videlicet Jesu Christi: aliquando sub angelica forma se demonstrat, vel aliquorum sanctorum meorum, sicut intellexerit animam libentius acceptare. Hac autem facit, ut eam illaqueare possit hamo propriae delectationis spiritualis. Et nisi sollicitè consurgat anima cum humilitate profunda, contemnendo visiones & revelationes istas, hoc hamo capta remanet in manu diaboli. Afferit etiam vir Venerabilis Joannes à Cruce <sup>3</sup> non posse animam dæmonis illusiones evadere, nisi à visionibus & revelationibus abhorreat, nulla siquidem necessitas eas volendi & admittendi apparet, quin

<sup>1</sup> Lib. 10. conf. c. 35. u. Dialog. cap. 71. <sup>2</sup> Lib. 2. assensus montis Carmeli. c. 21. 17.

potius recusare illas oportet, ut ad unionem amoris accessus pateat. Hoc enim significare voluit Salomon <sup>4</sup> cum dixit, Quid necesse est homini majora se querere? ac si patientius dixisset: nulla suppetit necessitas ad assequendam perfectionem modo inusitato supernaturalia optandi, & res quæ capacitatem superant requirendi. Quia tamen viæ Domini diversæ sunt, & unum quidem viâ tritâ per communes exercitationes, alterum semitâ occultâ per visiones & revelationes ad se trahit, ne quis ambulans in assueto tramite in laqueos diaboli incidat, certæ quædam regulæ tradendæ sunt, quibus veræ revelationes à falsis discernantur.

III. Difficillima hæc res est, quam ut clarè & methodicè, quantum fieri potest, expediamus, quæcunque ad eam pertinent ad tria capita revocanda sunt; ad personam scilicet cui facta est revelatio, ad ipsam revelationem, & ad ejus circumstantias. De singulis autem quædam veluti leges tradendæ, quæ ad rectè & prudenter de re proposita judicandum necessariæ sunt.

i. Ordior à persona, cui facta revelatio

<sup>4</sup> Eccl. 7. 1.



394 DE DISCRETIONE

tio perhibetur. Ejus in primis examinanda fides, an sit verè catholica, quia *si sine fide impossibile est placere Deo*. Quod si in fide nulla sit labes, adhuc observandum est, an mores fidei consentiant, quia *fides sine operibus mortua est*. Ideo non credendum superbis, pervicacibus, avaris, carnalibus, iracundis, impatientibus, hypocritis: illis etiam qui precipites, indiscreti, & inconstantes in spiritualibus exercitiis sunt: qui sine legitima missione in officia pastoralia se ingerunt; qui mulierculas peccatis onustas, ut olim Montanus & alii hæresiarchæ circumducunt: qui nova & singularia pietatis & pœnitentiæ exercitia à superioribus non approbata disseminant: qui affectatæ sanctitatis indicia præbent; qui discordias & dissidia serunt; qui adhuc imperfecti & incipientes se temere jactant ad fastigium perfectionis pervenisse: qui aliorum spernentes consilia, & superiorum examen subterfugientes se de omnibus à Spiritu sancto doceri gloriantur: qui se ab aliis contemni ægré ferentes eos odio prosequuntur, qui vitam & mores ipsorum non probant: qui in ipsis revelationibus sibi complacent, & cum

2 Hebr. 11. 6. 2 Jacob. 2. 26.

SPIRITUUM CAP. XX. 395

illis carent, impatientes & tristes fiunt.

2. Attendendum an solida & profunda humilitate prædita sit. Vera enim revelatio humanæ miseræ & imbecillitatis agnitionem parit, & ut S. Macarius Ægyptius ait *b Anima quæ verè Deum ac Christum diligit, licet mille justitiæ opera ediderit; licet dona spiritus varia, aut etiam revelationes cœlestes consequi digna habeatur, ita se gerit, ac si nihil fecerit, & nihil haberet, propter immensam & insatiabilem dilectionem*. Hinc Isaias, cum vidit Deum sedentem in folio excelso, protinus se virum pollutum labiis professus est: Jeremias *d* quoque cum se à Domino sanctificatum percepisset, se infantem & elinguem prædicavit. Apostoli audita voce Dei Patris dicentis, *Hic est Filius meus dilectus*, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Paulus, ut observat Ambrosius, in infirmitatibus sibi placuit, non in revelationibus. Ante annos quatuordecim revelationem se habuisse scribit, & tamen eam apud se tamdiu tenuit & repressit; nec dixisset, nisi utile nobis judicasset ut diceret; *ne nos revelationibus*

b Hom. 10. c Isai. 6. 5. d Jer. 1. 6. Matth. 17. 6. e In Psal. 36. 20. 2. Cor. 12.



extolleremur. Si enim in tanta gratia non est gloriatus Paulus, nec nos gloriari oportet. Si quis ergo ex revelatione in superbiam elatus se aliis præfert, si aliquod præbet indicium propriæ æstimationis, non veram revelationem, sed illusionem habuisse censendus est. Humilitas siquidem, teste Hieronymo <sup>f</sup>, prima virtus Christianorum est, omniumque virtutum fundamentum, ut docet Angelicus doctor <sup>s</sup>, removens superbiam, cui Deus resistit: ut sciamus, inquit Apostolus <sup>b</sup>, que à Deo donata sunt nobis: neque enim homo idoneus est ad divinos influxus percipiendos, nisi cognoscat quod ex se nihil potest, sed Deus est qui operatur omnia in nobis: & hoc ipsum est sapientiæ scire cuius hoc donum sit. Aliud est autem superbiam ex revelatione oriri, aliud post revelationem ad eam diabolica tentatione moveri, nam primum falsæ revelationis signum est, alterum nequaquam, cum ille præfertim, qui ad elationem excitatur, fortiter hosti reluctatur.

3. Consideranda corporis constitutio; ex qua plerumque animi mores pendent. Etenim facile decipi possunt, qui parum

<sup>f</sup> Ep. 27. c. 7. g. 2. 2. qm. 161. a. 5. ad 2. h. 1. Cor. 2. 12.  
<sup>s</sup> ap. 2. 21.

firma valetudine utuntur: qui turbida ac vehementis imaginationis sunt: qui attrabili abundant, quæ depravare phantasmam solet, variasque imagines turbatis sensibus imprimere, adeo ut vigilantes sibi somnia fingant, atque ea se videre & audire existiment, quæ nec visu nec auditu percipiunt. Ex longa item inedia, crebrisque jejuniis, ac immoderatis vigiliis exsiccato cerebro, dissipatisque spiritibus inania phantasmata repræsentantur, quibus illusa mens tanquam divinis revelationibus pertinaciter adhæret. Plurimum quoque refert disquirere & cognoscere qualis sit & fuerit is qui habet revelationes: an studio virtutum & orationis sedulo incumbat: an vivat proprio arbitrio, vel sub obedientia discreti, experti, & maturi præceptoris, an integer animi sit, ac bonæ indolis: an moderatus in sermone, sive de rebus divinis, sive de indifferentibus instituatur: qua patientia toleret adversitates & contradictiones: an suas revelationes passim evulget, & quo fine: quomodo & à quibus instructus fuerit: cum quibus conversetur: quibus exercitationibus assueverit, quibus studiis delectetur: sitne pauper an dives,



nam in pauperibus fictio, in divitibus ambitio timenda est: sine senex, an puer, nam senes exhaustis viribus sapius delirant; pueri autem, qui cerebro humidiori sunt facile commoventur, & falsa pro veris apprehendunt. Fraus etiam vel deceptio in incipientibus metuenda est; cito enim fallitur novitius fervor, precipue in adolescentibus, quorum ardor nimius est, motus inconstantes, impetus preceps & effrenis. Nec omissenda est aliarum revelationum, si quae precesserunt, consideratio, an vere fuerint, an a peritis approbatae: an unquam diabolus eos deceiverit, vel decipere conatus sit.

4. Major cautio erga foeminas adhibenda, quarum sexus eo suspectior est, quod imbecillior. Naturae sunt humidioris, & ex vehementia cogitationum & affectuum putant se videre quae cupiunt, & quod ab animi perturbationibus nascitur, quae in ipsis acerrimae sunt, a veritate oriri credunt: cumque ratione minus polleant, non est difficile diabolo earum nativa imbecillitate uti, ut eas primum variis illusionibus decipiat, & per easdem alios in errores inducat. Notabile est quod de sanctissima matre sua scribit Augusti-

nus <sup>k</sup>; nam cum maxime optaret elibidinis ceno filium educere, de futuro ejus matrimonio jugiter cogitabat, optans aliquid de illo sibi per visum ostendi. *Et videbat quadam vana & phantastica, quo cogebat impetus de hac re satagentis humani spiritus, & narrabat mihi, ait Augustinus, non cum fiducia qua solebat, cum tu demonstrabas ei, sed contemnens ea.* Et haec quidem decepta non fuit, quia gratia discretionis praedita sciebat quid interesset inter Deum revelantem & animam suam somniantem. Sed quia non omnibus hoc datum est, debent Praelati & rectores animarum mulierum revelationibus obsistere, & eas spernere, & increpare quod ambulare audeant in mirabilibus super se. Tum in earum mores studiosè inquirendum, an sint vagae, garrulae, superbae, avarae, criminatrices: an aliquam vel minimam impudicitiae suspicionem praebant: an contra praecipuum Apostoli in officium docendi & praedicandi se ingerant, an cum suis confessariis & instructoribus modeste se gerant, nam si pretextu confessionum vel instructionum continuis colloctionibus diem terant,

<sup>k</sup> Lib. 6. conf. cap. 13.



sintque tota in narrandis visionibus & revelationibus, nulla pestis perniciosior est, nullum venenum insanabilius. Hinc doctissimorum virorum lapsus orti sunt, hinc plures Ecclesie columnas corruisse ex Ecclesiastica historia didicimus & deploramus. Omnes hereses muliercularum ope aut inventas aut disseminatas præclare Hieronymus docet ad Ctesiphontem ita scribens. *Simon magus haresim condidit Helene meretricis adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit femineos. Marcion Romam premisit mulierem, que decipendos sibi animos prepararet. Apelles Philomena suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus predicator multas ecclesias per Priscam & Maximillam nobiles & opulentas feminas primum auro corripuit, deinde haresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. Arius ut orbem deciperet, sororem Principis ante decepit. Donatus per Africam ut infelices quosque foetentibus pollueret aquis, Lucilla opibus adjutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cum cæca duxit in foveam, successoremque*

l. Adv. Pelagium.

*sui Priscillianum habuit Zoroastris magi studiosissimum, & ex mago-episcopum: cui juncta Galla non gente, sed nomine, germanam huc illucque currentem aliterius & vicina hareseos reliquit heredem. Possent & alia multa attexere sequentium seculorum exempla, sed hæc abunde sufficiunt ad eorum instructionem & cautelam, qui animas regendas susceperunt, ne facile credant mulierum revelationibus, illis exceptis quas longa experientia & diligentis examine probaverint à Deo esse.*

§. Sic ab hominibus humana & divina sapientia præditis S. Teresie visiones & revelationes approbatæ fuerunt variis iudiciis & argumentis, quæ opere pretium est hinc summam referre, ut ad hæc veluti ad lydium lapidem oblatas revelationes examinare, bonumque spiritum à malo discernere valeant, quicumque huic curæ incumbunt. Spiritum igitur Teresie bonum esse, & veras revelationes hæc signa demonstrarunt. Semper timebat diabolicas illusiones, ac propterea nunquam visiones petiit aut desideravit: imo potius Deum exorabat, ut eam duceret per viam consuetam, hoc solum optans ut fieret in ea divina voluntas. Cum soleat demon



precipere, ut quæ revelat nemini dicantur; illa semper à spiritu sibi apparente audiebat, ut communicaret cum vitis doctis, ne forte tacens deciperetur: ideo se virorum illustrium examini subiecit, qui tunc doctrinæ & sanctitatis laude in Hispania florebant, quales fuerunt Petrus de Alcantara, Franciscus Borgia, Joannes Abulensis, Balthasar Alvarez, Dominicus Bannes, & alii. Suis directoribus exactissime obediebat, & post visiones magis in caritate, ac humilitate proficiebat. Libentiùs cum illis agebat, qui minus creduli & magis timidi erant; eosque magis amabat, à quibus persecutione patiebatur. In ejus mente summa tranquillitas & jucunditas erat, exuperans omnes mundi consolationes: ardentissimus in ea zelus salutis animarum, purissimæ cogitationes, magnus candor, fervens desiderium perfectionis. Si quæ in illa imperfectio, si quis defectus erat, de illo semper reprehendi ab eo solebat, qui intus illi loquebatur. Dictum est ei, ut si quæ justa sunt à Deo peteret, ea indubitanter obtineret: multa autem petiit, & semper obtinuit. Quicumque cum illa versabantur, nisi prava dispositio obstaret, ad

modestiam, ad pietatem, ad amorem Dei ex ejus consuetudine excitabantur. Visiones ut plurimum ei contingebant post longam & ferventem orationem, sive post communionem: & in illa accendebant ardentissimum desiderium pro Deo patienti. Carnem suam jejuniis, flagellis, ciliciis castigabat; & gaudebat in tribulationibus, murmurationibus & infirmitatibus. Solitudinem amabat abhorrens ab hominum conversatione, & ab omni rerum terrenarum affectu prorsus avulsa. Tam in prosperis, quam in adversis eundem semper tenorem, eandem animi tranquillitatem servabat. Nihil unquam in ipsius revelationibus, earumque adjunctis viri docti observarunt, quod à regulis fidei & Christianæ perfectionis alienum esset: nec erat in illis quod posset reprehendi. Hac signa si in aliquo deprehensa fuerint, nullatenus dubigandum, quin ejus revelationes à Deo sint. Hoc etiam in persona, quæ habet revelationes discutiendum est, an ejus actiones lumini, quo imbuitur, consentaneæ sint: an sit fidelis divinæ dispositioni, eique pareat ea pace, hilaritate, ac vigilantia, quæ necessaria est: an in cordis simplicitate ex fide vivat,



nec variis ac inutilibus desideriis agitur; sitque constans in via & vocatione sua; an omnes ejus operationes & conatus extensioni gratiæ, qua prædita est commensurentur, nec ultra extendantur: & quia gratia amorque crucis pari passu gradiuntur, seriò attendendum est, an crucem verè amet & desideret, mundique leges & sensuum illecebras abominetur.

IV. Sed à personis ad ipsas revelationes progrediendum est, & examinandum quale sit illud, quod revelatur.

1. Veritas autem primo loco attendenda est, & consensus rerum revelatarum cum sacris literis, cum divinis & apostolicis traditionibus, cum moribus & definitionibus Ecclesiæ; dicente Apostolo ad Galatas, quod si Angelus de cælo evangelizet nobis præter id quod accepimus, anathema sit. Et idem Thessalonicensibus edixit, Tenete traditiones, quas didicistis. Ecclesiæ verò infallibilis est auctoritas Apostolis attestantibus, qui hæc gravissima formula in definiendo usi sunt, Visum est Spiritui sancto & nobis. Quod si aliquid in revelationibus reperitur quod his aliquo modo adversetur,

Cap. 11. S. O 2. G. 2. 14. p. Act. 15. 28.

tanquam mendacia & illusiones rejiciendæ sunt; Deus enim veritas est, & illi canit Psalmographus, Principium verborum tuorum veritas. Quapropter Epiphanius r Maximillæ revelationibus credendum non esse asserbat, quia sacris literis non conveniebant. In hanc sententiam egregiè loquitur Richardus à S. Victore: Suspecta est mihi omnis veritas, quam non confirmat scripturarum auctoritas, nec Christum in sua clarificatione suscipio, si non assistant ei Moyses & Elias. Si Christus docet me de rebus exterioribus vel de intimis meis, facile recipio, ut pote in his que comprobare possum proprio experimento. Verum ubi ad alta mens ducitur, quoniam de cælestibus quæstio ventilatur: ubi de profundis rebus agitur, in tantæ sublimitatis vertice non recipio Christum sine teste, nec rata poterit esse quamlibet verisimilis revelatio sine attestazione Moyses & Elie, sine scripturarum auctoritate. Hanc normam secutus est princeps Apostolorum, Christi enim transfigurationem enarrans, & vocem à Deo Patre delapsam, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsam audite; quam se audisse testatur, cum esset cum

9 Ps. 118. r Har. 48. f De præp. au. ad cons. c. 2. Petri



ipso in monte sancto, speculator factus illius magnitudinis; noluit tamen ei revelationi inniti, nisi quatenus Prophetarum oraculis consentanea fuit. Et ideò ait, *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco*: ac si aperte diceret, quamvis vox è cælo delapsa revera à Deo Patre manarit, sermo tamen propheticus certior est & firmior omni scientia, omnique visione & revelatione, quia falli sensus possunt, scriptura sacra non potest. Quia verò sectarii ipsam scripturam ad sua dogmata comprobanda perversa interpretatione detorquent; cavendum solicite est, ne alio sensu explicetur, quàm qui illi tribuitur ab Ecclesia, quæ cum sit columna & firmamentum veritatis, auctoritatis suæ pondere homines firmat, ne circumferantur omni vento doctrinæ, sed verum scripturæ sensum à suppositio & adulterino discernant.

2. Ut constet revelationem à Deo esse, inspiciendum est an habeat conditiones, quas sapientiæ à Deo revelatæ Jacobus Apostolus tribuit dicens: *Quæ autem desursum est sapientiæ primum quidem pu-*

n. Jac. 3. 17.

*dica est*, pura scilicet & abstracta ab omni carnali & terrena voluptate: *deinde pacifica*, semperque tranquilla, & cum nemine contendens: *modesta* & composita in habitu, gestu, & conversatione: *suavis*, aliorum scilicet iudicio facile cedens: *bonis consentiens*, eorumque sententiæ acquiescens: *plena misericordia & fructibus bonis*, id est bonis operibus, atque in omnes indigentes opes suas abundanter effundens: *non iudicans*, sicut plerique faciunt, qui aliorum mores & facta disquirunt, & perperam interpretantur: *sine simulatione*, sine dolo & fraude, simplex & sincera. Hæ sunt notæ, hi characteres veræ sapientiæ; hæ virtutes ad quas excitat divina revelatio: quod si ad lites, ad contentiones, ad curas seculi, ad vanitatem, ad superbiam, ad pertinaciam ea quæ revelantur, impellunt; proculdubio à carnali & mundana sapientiâ, quæ non percipit quæ sunt spiritus Dei, vel à spiritu maligno oriuntur.

3. Si quod revelatur eò tendit, ut opus aliquod grande & inusitatum suadeat, non statim ei revelationi tanquam à Deo immisæ credendum; sed ad examen & iudicium superiorum referenda est, sicut



408 DE DISCRETIONĒ

docet Cassianus \*, *Vt nihil quis suo iudicio credens illorum per omnia definitionibus acquiescat; & quid bonum vel malum debeat iudicare, eorum traditione cognoscat.* Callidus enim hostis bonum aliquod interdum suggerit, quod majus & perfectius videtur, ut falsa ejus species mens decepta ab eo, quod verè bonum est, recedat; & malo sensim adhæreat. Nihil siquidem vero bono magis cōtrarium, quàm falsa majoris boni species & apprehensio. Sæpe etiam ad bona quaedam perfectiora incitat, quæ propriæ professioni & vocationi non congruunt. Sic uxori alligato eremum suadet, solitudini addicto gentium conversionem, infirmo & debili immoderata jejunia, patrifamilias studium contemplationis abjectâ curâ rerum domesticarum. Alios movet ad miserationem erga pauperes, ut eos ad avaritiam & amorem pecuniæ, prætextu largiendæ elemosynæ impellat. Veris item & bonis falsa atque mala permiscet, ad aliqua bona exhortans, & vitia quædam reprehendens, ut conciliatâ sibi apud incautos auctoritate, postea ad mala iniecit, blandisque sermonibus venenum instiller.

\* Coll. 2. cap. 20.

Cum

SPIRITUUM CAP. XX. 409

4. Cum diversæ & inter se pugnantēs diversis de eadem re revelationes fiunt, contingere potest ut una vera, altera falsa sit, satagente diabolo priorem veram sequenti falsâ eludere: ut plurimum tamen ambæ suspectæ & dubiæ sunt, ac propterea accuratiùs examinandæ. Falsa quoque vel saltem suspecta habenda est revelatio, cum ea quæ revelantur ad Dei gloriam & hominum salutem non spectant: cum quis luce & splendore in conspectu aliorum perfunditur, nisi sit verè humilis, & diu probatæ sanctitatis: cum manifestantur alicujus occulta peccata, quæ scire nihil prodest; si præsertim ad ea evulganda quis impellatur; quod si alicui detegantur, ut peccatorem arguat, subsistere nihilominus debet, & correctionem differre, donec cognoscat à quo spiritu sit illa motio. Quia verò Deus ea dumtaxat revelare solet quæ hominum scientiam excedunt, suspecta redditur revelatio, ut pote non necessaria & supervacua, cum id quod revelatur, humana intelligentia percipi potuit. Porro cum agitur de revelationibus futurorum eventuum, quorum veritas ex successu pendet, notan-

M m



410 DE DISCRETIONE

da est regula, quam ex Angelico Docto-  
re tradidimus supra 2, posse scilicet re-  
velationem veram esse, licet effectus mini-  
me sequatur. Nam præter rationem ibi-  
dem allatam aliquando exitus rei, quæ re-  
velatur, aliter à nobis, aliter à Deo in-  
telligitur: & ideo humanus loquendi mo-  
dus in his minime attendi debet, si falli &  
errare nolumus. De Christo ejusque re-  
gno multa Deo revelante à Prophetis  
prædicta sunt, quæ à carnalibus Hebræis  
de regno temporali intelligebantur, cum  
de spirituali & æterno scripta sint. Legi  
potest hac de re diffuse tractans Venerabi-  
lis Joannes à Cruce 4 in ascensu montis  
Carmeli. Docet etiam Bonaventura fam-  
iliare esse viris piis decipi in revelatio-  
nibus: sæpe enim orantes ex Dei inspi-  
ratione pro alicujus negotii expeditione,  
conceptâ fiduciâ rei obtinendæ putant  
se exaudiri, & quod confidentia proprii  
sensus loquuntur, à Spiritu sancto oriri  
existimant, & in hoc decipiuntur falsa pro  
veris, incerta pro certis prædicentes.

5. Solam frequentiam revelationum

y 2. 2. qu. 171. a. 6. ad 2. z Cap. 17. § 5. n. 1.  
z Lib. 2. c. 19. & 20.

SPIRITUM CAP. XX. 411

eas suspectas reddere S. Franciscus Sale-  
sius docet 6, cum præsertim illa reve-  
lantur, quæ non nisi raro manifestari so-  
lent, & quæ scire non expedit, cujus-  
modi sunt certitudo salutis, confirmatio  
in gratia, gradus sanctitatis ad quem quis  
pervenit, & alia ejusdem generis. Pe-  
tierat à Gregorio Magno hujusmodi re-  
velationem nobilis mulier, cujus curio-  
sitate sanctus Pontifex redarguit his  
verbis c. *Quod verò dulcedo tua in suis  
epistolis subjunxit, importunam se mihi  
existere, quoadusque scribam mihi esse re-  
velatum, quia peccata tua dimissa sunt, rem  
& difficilem & inutilem postulasti. Diffici-  
lem quidem, quia ego indignus sum, cui  
revelatio fieri debeat. Inutilem verò, quia  
secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi  
cum jam in die vite tue ultimo plangere ea-  
dem peccata minimè valebis. Quæ dies  
quousque veniat, semper suspecta, semper  
trepida metnere culpas debes, atque eas quo-  
tidianis stetibus lavare. Certè Paulus Apo-  
stolus jam ad tertium cælum ascenderat,  
in paradysum quoque ductus fuerat, arca-  
na verba audierat quæ homini loqui non li-*

b Lib. 2. ep. 23. c Lib. 6. epist. 22.



ceret: tamen adhuc trepidans dicebat d. Castigo corpus meum, & servituti subji- cio, ne forte aliis prædicans, ipse repro- bus efficiat. Adhuc timet, qui jam ad cœ- lum ducitur, & jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur? perpende, dul- cissima Filia, quia mater negligentia solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatem. Magni etiam periculi res est pacisci cum amico, ut statum suum post mortem revelet: aditus enim aperitur illu- sionibus, & qui sic inter se constituunt, vix à defectu fidei & à vanâ curiositate excu- sari possunt. Quare satius est ambulare in fide, propriamque salutem cum timore & tremore operari.

V. Postremo loco intueri oportet quæ & quales sint circumstantiæ revelatio- num; proprium enim & accuratum exam- men requirunt.

1. Revelationes, quæ ex diabolo sunt, multos habent annexos discursus & ratio- nes ad persuadendam eorum veritatem: tum ingens animæ desiderium ingerunt eas in vulgus edendi & publicandi: at si vere à Deo sunt, qui ipsas recipit silen-

d. 4. Cor. 9. 27.

tio premit, solique confessorio humiliter detegit, cujus consilio credit & parer, nihil sibi tribuens, nihil dijudicans. Vi- ros sanctos legimus revelationes suas nunquam aliis aperuisse, nisi charitas posceret, aut superioris jussio urgeret. Divini spiritus indicium est ab omni re, quæ notabilem hominem faciat, abstine- re; de seipso modeste loqui, nec verba illa arrogantia plena usurpare, hæc mihi Deus locutus est, hæc revelavit. Ne quis verò decipiatur, optimum consilium est observare quo sine quis moveatur ad ipsas revelationes manifestandas, levitate, an vanitate; utilitate propria, an aliena; uniusne, an multorum: an aliqua appa- reat nota cupiditatis, avaritiæ, vel pro- priæ aestimationis: quibus verbis in ipsa narratione utatur, an humilibus & vere- cundis, an tumidis & inconsideratis: an paucis se expediat, seu potius prolixior sit. Illud quoque perpendendum quod S. Te- resia docuit, rebus scilicet, quæ reve- lantur, nullam fidem adhibendam esse ex eo præcise quod revelatæ sunt; sed si ad fidem pertinent, illis propter fidem credendum est: si aliquid præcipitur, ad-



414 DE DISCRETIONE

superiorem deferendum, ejusque mandato accedente ex obedientia peragendum est. Hac via ambulans nunquam errabit.

2. Cum Deus aliquid revelat, non loquitur humano modo unum verbum post aliud proferens, sed plures simul sententias brevi momento promit; sicut periti nummularii, cum pecuniam solvunt, non unum nummum post alium singillatim dinumerant, sed plures simul uno jactu in mensam effundunt. Hoc modo sibi revelatam à Christo regulam, quam scripsit, S. Brigitta testatur; quæ cum satis diffusa sit, brevissimo tamen temporis spatio ita illi dictata fuit, ut nullo modo ipsa enarrare, aut alii comprehendere queant, qualiter brevissimo horæ momento tot simul verba proferri aut percipi possent. Agit de hac mirabili Dei loquela Gregorius in moralibus *l*, qui inter cætera ait: *Cum Deus per semetipsum loquitur, de verbo ejus sine verbis & syllabis cor docetur. Sine strepitu sermo est, qui & auditum aperit, & habere sonitum nescit.*

3. Revelationis accessus perpendendus.

o Regula cap. 29. f Lib. 28. cap. 2.

SPIRITUUM CAP. XX. 415

est, an turbulenta motione hominem quatit, & quasi æstuantem jactet; an verò placide & tranquille adveniat; an in principio lætitiã ingerat, quæ statim in tristitiã convertatur; an potius horror initio concipiatur, qui sensim amoveatur, & in gaudium desinat: hoc enim veræ, illud falsæ revelationis indicium est. Quod si in principio vel in progressu accipiens revelationem in terram labitur, ut aliquando contigisse legimus, & inusitatis motibus concutitur, & in his apparet quidpiam indecorum, & quod oculos intuentium offendat, nullum est dubium quin à diabolo sit. Illi verò quibus dæmon apparet, vix malum aliquod vel incommodum evadunt; ipso saltem horrore vultus notabiles sunt. Loci etiam ratio habenda est, pandit enim Deus secreta sua animæ ab hominum frequentia segregatæ: ac propterea suspectæ sunt revelationes, quæ in publicis locis contingunt, sicut supra de ecstasi dictum est. Discutiendæ item cogitationes, quæ præcesserunt & concomitantur, quia ad hominem prava animo agitantem non advenit Spiritus sanctus. Denique effectus revelationis attendi debent,

M m iij



116 DE DISCRETIONE

nam falsa malum exitum semper habet.

4. Ex lumine infuso quo mens imbuatur, certitudo Dei revelantis & rerum revelationum colligitur, quemadmodum lumine naturali prima scientiarum principia cognoscimus, & ex iis conclusiones deducimus. Nam sicut vox & se, & loquentem, & rem cuius est signum manifestat: ita supernum hoc lumen non solum Deum revelantem, & ea quæ revelantur, sed etiam se ipsum palam facit. Ejus siquidem munus est mentem illustrare, ut certò sciat Deum esse qui loquitur, quo posito sequitur necessariò vera esse & infallibilia quæ revelantur. Perfudit Abrahami mentem hoc lumen, cum ad filium immolandum se paratum exhibuit, nullatenus dubitans, quin Deus esset, qui sibi hac victimâ litari præceperat. Nec aliter Samson se ipsum cum hostibus ruinâ domus oppressit, quia luce divina perfusus hoc gratum Deo futurum perspexit. Sic quædam sanctæ Virgines in ardentem rogam se ultrò in testimonium fidei projecerunt, Deo impellente & mente illuminante: neque enim de illis aliud credere fas est, quarum martyria publico cultu Catholica Ecclesia veneratur. Quia tamen hoc lumen non semper

SPIRITUUM CAP. XX. 417

in divinis revelationibus adest, sanum consilium est eas superiori referre, qui ex regulis traditis videat, *utrum divina justia nullo nutet incerto*, sicut sapienter monet Augustinus 3.

5. Ex veris & divinis revelationibus semper anima proficit in cognitione veritatis, & in doctrina ac scientia Sanctorum; & ideo inspiciendum an sermo hominis post revelationem cœlestem sapientiam redoleat, an potius terrenam, quæ apud Deum stultitia est. Scriptum est enim *h*, *Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius: sic verbum ex cogitatu cordis hominis. Ante sermonem non laudes virum: hæc enim est tentatio seu probatio hominum. Ex abundantia cordis os loquitur, & bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.* His notis discernitur spiritus à quo sermo procedit. Nam bonus homo sanam doctrinam loquitur, & omnis narratio ejus in præceptis Altissimi: ori suo frœnum imponit, sollicitè præcavens ne in sermone labatur: velox est ad audiendum, tardus ad loquendum; tacendi & loquendi tem-

g. Lib. 1. de Civit. D. i. c. 26. h. Eccl. 27. 7. i. Matth. 12. 34.



418 DE DISCRETIONE

pus distinguens : sermo ejus sale conditus est , adeo ut qui eum audiunt , compuncti dicant , *Vere Filius Dei est iste*. Malus verò per multa phantasmata , multasque ambages in sermone vagatur : verba grandia , magnifica , inusitata profert , quibus admirationem in audientibus , sibi que laudem conciliet : modum non habet , nec linguam continere potest intra terminos rectæ rationis : à recepta sanctorum Patrum doctrina sermo ejus recedit , & novas adinventiones amplectitur , non cessans cœlestes jactare revelationes , sicut olim doctissimus , sed infelicissimus Tertullianus. Quia verò divina charismata , quibus animam à rebus omnibus avulsam , sibi que solam unitam illustrat Spiritus sanctus , altissima nonnunquam & ineffabilia sunt , adeo ut ab ipsa vix intelligi , multò minùs verbis explicari queant ; sedulò cavendum est , ne dum uni periculo nos subducere satagimus , in alterum gravius labamur. Nam cœlestium donorum sublimitas sæpe excedit vim & significationem omnium vocum , quas ad promendos animi conceptus homines instituerunt ; si quis ea , ut par est , directori pandere velit , lingua

SPIRITUUM CAP. XX. 419

cordi non sufficit ; unde necesse est , ut nova ; vocabula nova que phrasas fingat , quibus singularia Dei dona sibi concessa manifestet , quas sanè voces carnales homines non percipientes , præcipiti sententiâ veluti erroneas damnare solent. Traducitur hoc nomine à nonnullis mystica Theologia , ac si voces contineat obscuras , horridas , inauditas , inintelligibiles , & à placitis Philosophorum ac Theologorum dissentientes , quas vel ludibrio habent tanquam nullius momenti ; vel nihil differe putant ab erroribus Begardorum & Illuminatorum dudum damnatis. Integri voluminis res est mysticam Theologiam à calumniis imperitorum vindicare , & nos fortassis de hac re alibi , Deo opitulante. Interim monemus nemini ex hoc capite erroris sive illusionis notam inurendam , si cum mystico ejus eloquio sanctioris vitæ ac veræ revelationis tradita signa consentiant. Habet mystica Theologia suas voces quas terminos vocant dialectici , sicut omnes artes & scientiæ : & cum sit omninò supernaturalis , ejus principium , finis , & media , modus que tendendi in finem , voces quoque & phrasas




420 DE DISC. SPIR. C. XX.

quibus traditur, naturæ ordinem ac vires,  
atque humanæ sapientiæ verba transcen-  
dunt.

Sed iam tempus est hujus libri finem  
facere cum gratiarum actione æterno Deo  
vivo & vero, ex quo omnia, per quem  
omnia, in quo omnia. Ipsi gloria in secula  
seculorum. Amen.

FINIS.



INDEX RERVM.

A

<b>A</b> ctiones sanctorum ex motivo exami- nanda, pag.	90
Adoratio spirituum apparentium,	379
Ætatum ratio habenda,	120
Affectiones animi quot & quæ,	27
Amor ecclasiæ facit,	234
Amoris carnalis nota,	176
Amoris vehementia,	80
Amor proprius,	192
Angelus malus transfiguratur se in Angelum lucis,	71
Angelorum motiones, 145. locutio & il- luminatio, 147. apparitiones,	358
Angelus initio terret,	155. 377
Angelus vel in propria, vel in Dei perso- na apparet,	354
Animarum regimen periculosum,	88
Apparitiones quomodo fiant,	256
Apparitionis & visionis discrimen,	259.
343	
Apparitiones non sunt desideranda,	344.



382. 390. 411. qua cautela in his adhibenda, 260. quadam vera, quadam false, 345. earum genera, 262. 346. & seqq.  
**A**pparitiones Dei, 348. 351. & seqq. an solus Dei filius in veteri testamento apparuerit, 349. & seqq.  
**A**pparitionis corporalis & imaginaria discrimen, 362  
**A**pparitiones Spiritus sancti, 355. Christi personales & in Eucharistia, 356. B. Virginis & Angelorum, 358. demonum. 365. & seqq. hominum defunctorum & viventium, 369. 370  
**A**usteritas necessaria, 121  
**B**  
**B**oni & mali spiritus qualiter discernantur, 70. 374. 378  
**C**  
**C**aligo divina, 337  
**C**arnalis spiritus nota, 178  
**C**autela in mulierum revelationibus, 398  
**C**ataleptis, 240  
**C**hristi apparitiones, 355  
**C**ogitationum principia, 38. & seqq.  
**C**onsolatio spiritualis quid sit, 200. quomodo duplex, 203. ejus redundantia in sensus, 88. quomodo Dei instinctum notet, 109. ea multi abutuntur, 207. 208. à Deo &

à damone esse potest, 203. ejus pericula & damna, 208. 209  
**C**onsolationis & desolationis vicissitudo, 211. & seqq. 217.  
**C**ruce sua cuique ferenda, 122  
**D**  
**D**eus solus illabatur menti, 150. solus efficaciter movet, 152. 153  
**D**eī motiones varie, 103  
**D**eī locutio ejusque modi, 124. 414  
**D**eī instinctus & ejus signa, 108. quomodo moveat, 67  
**D**eī inspiratio & ejus nota, 136. & seqq.  
**D**eō & diabolo multa tribui qua à nobis sunt, 40. 41  
**D**elicia spirituales quomodo examinande, 100.  
**D**esolatio duplex, 214. ejus remedia, 221 causa & effectus, 216. & seqq.  
**D**iaboli instinctus, 157. & seqq. illusiones & fraudes, 159. & seqq. 162. & seqq. 365. & seqq. 196.  
**D**iaboli apparitiones, 365. docere potest, sed non illuminare, 150  
**D**ilectio nota divini Spiritus, 83  
**D**irectoris consilium necessarium, 45. 59. 160. 167.  
**D**ispensatio à legē, & pro ea cautela, 388.



Discretionis difficultas & necessitas, 1. 6.  
35. ejus regulae non sunt infallibiles,  
45. 47. 58. 64. 83. & seqq.

Discretio spirituum quid sit, 14. quomo-  
do differat à Prophetia, 15. 16. an  
detur per modum habitus, 16. varii  
ejus modi, 18. ad quid se extendat,  
23. 29. ejus regulae generales, 19. &  
seqq. 54.

Discretio ex lumine infuso, 23. & per mo-  
dum artis, 23

Docilitas indicium boni spiritus, 111

E

Ecstasis quid sit & quomodo fiat, 224.  
& seqq. status animae in ecstasi, 228.  
& seqq. ecstasim multipliciter contingere,  
234. 237. & seqq. ejus causa, 235. &  
seqq. signa falso ecstasis, 248. & seqq.

Ecstasis vitae, 239. naturalis, 240. 244.  
demoniaca, 243

Ecstasi resistunt viri sancti, 247

Energumeni & eorum signa, 177

Examen instinctuum, 45

Experientia necessaria ad discretionem,  
24. 56.

F

Favores extraordinarii suspecti, 99

Fiducia sui mala, 94

Finis

Finis rectus indicium boni spiritus, 111  
Futura contingentia dupliciter cognosci  
possunt, 311

G

Genitum vitia, 180. 187

Gratia gratum faciens & gratis da-  
ta, 12. utriusque discrimen, 13

Gratiam gratis datam etiam in malis repe-  
riri, 19. ejus species, 13

H

Hominis lapsi status, 181. & seqq.

Hominum diversitas, 184

Homo sibi hostis, 183

Hominis & spiritus similitudo observa-  
nda, 88

Hominum apparitiones, 369

Humanus spiritus, 181. ejus inconstantia  
& malitia, 186. & seqq.

Humilitas necessaria ad discretionem, 58

I

Il lapsus Dei, 199. 100

Illabi menti proprium Dei, 150

Illusiones diaboli, 159. 171

Illuminatorum vitia, 88. 87. 173. & seqq.  
394

Incipientium tentatio aliorum conversioni  
incumbere, 173

Ingeniorum diversitas, 184

N n



Inspirationis divina signa, 135. & seqq.  
effectus, 140. 141. quomodo expetenda,  
142.

Inspirationibus divinis sepè errores mis-  
centur, 97. 98

Instinctus qualiter examinandi, 9

Instinctus dubii & obscuri, 84. 85

Instinctuum principia, 35. & seqq.

Instinctus divinus, 103. & seqq. Angeli-  
cus, 144. & seqq. diabolicus, 157. hu-  
manus, 181

Instinctus ad opera mirabilia qualis sit, 92

Judicium visionis prophetica quomodo fiat,  
303

Judicium quo fit discretio incertum, 46.  
& seqq.

### L

**L** Acrimarum genera, 100

Languor post divinum instinctum ejus-  
que causa, 119

Legis dispensatio, 388

Libertas spiritus, 117

Locutio divina quid & quotuplex, 125.  
& seqq. effectum suum statim operatur,

129. ejus modus, 132. & seqq. 414. non  
semper intelligitur, 130

Lumen necessarium ad discretionem, 6. 23.  
229

Luminis divini proprietates, 118

Lumen falsum, 193. 194

Lumen propheticum, 293. & seqq.

### M

**M** Iracula, 77. 78.

Misericordia signum divini spiri-  
tus, 76

Motio. Vide Instinctus.

Motionum principium duplex, 35. & seqq.

Motus boni à gratia, mali à nobis vel à  
diabolo, 43

Mors mystica, 230. 231

Mundani spiritus nota, 178. & seqq.

Mystica phrasés obscuræ, 118. 418. & seqq.

### N

**N** Vmmularii imitandi, 9

### O

**O** Pera indicant à quo spiritu quis a-  
gatur, 63. 72. 73

Origenis lapsus, 8

Oratio initio libri, 10

### P

**P** Assionum animi series & origo, 27

Patientie bonum, 112

Pax anime, 237. ubi Deus ibi pax, 123

Philosophorum libri non excitant ad vir-  
tutem, 197

Pœnitentiæ motus à Deo, 82



Prophetia in quo consistat, 292. non datur  
per modum habitus, 298. dupliciter fit,  
299. lumen propheticum, 293. gradus  
rerum que à prophetis cognoscuntur,  
296. iudicium propheticum quale sit,  
303. veritas prophetiæ, 312. an sit argu-  
mentum sanctitatis, 320. 321. tria ejus  
tempora, 297. non est amentia, 301. &  
seqq. vera & falsa discrimen, 315. &  
seqq. quibus datur, 321.

Propheta nunquam desunt, 319  
Propheta mens dupliciter à Deo instruitur,  
48. 49.

Prophetas interdum decipi, 298. 299  
Prædictiones non semper eveniunt, 310  
& seqq.

Prudentia carnis, 197  
Purgatio anime per desolationem, 219. &  
seqq.

**Q** Vale sit iudicium quo fit discretio,  
46. 47. **R**

**R** Aptus, 224. Vide Ecstasis.  
Regimen animarum periculosum, 88  
Regule discretionis non sunt infallibiles,  
45. 47. 58. 64. 388. & seqq.

Regula generales ad discernendos spiritus,  
19. & seqq. 54.

Regula ad discernendas motiones internas

ab externis, 39

Ad discernendum Spiritum divinum à  
diabolo, 72

Ad examinandum instinctum dubium,  
71. & seqq.

Ad dignoscendum instinctum Dei,  
107. & seqq.

Ad discernendam locutionem divinam à  
diabolica & proprie imaginationis, 129

Ad intelligendum modum angelici in-  
stinctus, 148. 149

Ad dignoscendas diaboli illusiones,  
119. 160.

Ad dignoscendos energumenos, 177

Ad notitiam spiritus humani, 191

Ad ecstasim veram discernendam à na-  
turali & demoniaca, 244

Ad discernenda somnia, 288

Ad veram prophetiam à falsa distin-  
guendam, 309

Ad cognoscendas bonorum & malorum  
spirituum apparitiones, 374. & seqq.  
377. 378

Ad discernendas revelationes veras à  
falsis, 393. & seqq.

Revelatio quid sit, 383. & seqq. quedam pu-  
blica, quedam privata, 385. privatis

qua fides adhibenda, 320. 385



Revelationes non sunt desideranda, 344.  
 381. 390. 411. Cur sapius in somnis fiant  
 283  
 Revelationis vera eventus saepe latet, 312.  
 & seqq.  
 Revelationum examen ex persona, 394. ex  
 re qua revelatur, 384. ex circumstantiis.  
 412. 413. Vide apparitio.

S

Sapor intimus necessarius ad discernen-  
 dum, 22. 23  
 Scriptura sacra auctoritas, 54. 55. 384.  
 385.  
 Sancti qui habuerunt donum discretionis,  
 49. 50.  
 Sensuum delectationes perniciose, 88.  
 155. 388.  
 Simplicitas, 61. 114. 115  
 Singularitas damnatur, 91  
 Somniorum species & causa, 277. & seqq.  
 Somnia à Deo & à demone, 279. clara &  
 obscura, 285. divina rarissima, 287. an  
 pertingant ad intellectum, 291. non ob-  
 servanda, 287. & seqq.  
 Somnia prophetica, 292  
 Spiritus nomen aquivocum, 30. 31  
 Spiritus quotuplex sit, 33. & seqq.  
 Spirituum probatio. Vide Discretio & In-  
 stinctus.

Spiritus Dei docet aliquando non excitat,  
 105.  
 Spiritus divinus, 65. 103. 104. angelicus,  
 145. diabolicus, 157. & seqq. carnalis &  
 mundanus, 178. humanus, 181.  
 Spiritus sancti apparitiones, 355  
 Spirituales viri rari, 7  
 Stigmata, 29  
 Superbia causa subtractionis gratia, 20.

T

Tertulliani lapsus, 8  
 Teresa revelationes quibus signis pro-  
 bata, 401  
 Theologia mystica phrasae obscurae, 118. 418  
 Timor & pavor ex Dei instinctu, 109. 110

V

Verba Dei saepe aliter à nobis quam  
 ab ipso intelliguntur, 130. 131  
 Visio quotuplex sit, 260. & seqq.  
 Visionum genera eorumque explicatio,  
 264. 265. 347. bonis & malis commu-  
 nes sunt, 263  
 Visio corporalis, 268. imaginaria. ibid.  
 & seqq.  
 Visiones in somnis, 275. & seqq.  
 Visio imaginaria non fit sine intellectuali,  
 291. 292  
 Visionis prophetica indicium quale sit, 303



*Visio intellectualis quid sit & quomodo  
fiat, 322. & seqq. quomodo visa intel-  
lectualiter desluant in sensum, 305. 306.  
an dari possit sine phantasmate, 305. quo-  
modo ab intellectuali imaginaria distin-  
guatur, 305. & seqq.  
Visio intellectualis est immunis ab illusio-  
nibus, 333. quae res in ea videantur, 335  
Visio Dei intellectualis triplex 336. san-  
ctorum testimoniis explicatur, 327. &  
seqq.  
Visio Dei intuitiva an sit possibilis in hac  
vita, 341. 342*

FINIS.

ERRATA:

pag. 9. lin. 7. verum pro falso lege falsum pro vero  
p. 18. lin. 21. comitendo lege completendo.



60

Empresario de la  
Compañía de las Indias  
de Sevilla y de las Indias  
de la Real Audiencia de Sevilla  
de 3 de noviembre de 1692  
por 500 libras

